5. 34

DE
INTERPRETATIONE TIMAEI
PLATONIS DIALOGI
A CICERONE RELICTA
DISPUTATIO,

QUA

RITE CAPESSENDO MUNERI

PROFESSORIS ELOQUENTIAE P. O.

IN

INCLITA ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

MAGNIFICUM PRORECTOREM,

PROFESSORES OMNIUM ORDINUM SUMME REVERENDOS ILLUSTRES
ET CONSULTISSIMOS EXPERIENTISSIMOS EXCELLENTISSIMOS,

COMMILITONES ORNATISSIMOS

AD

ORATIONEM ADITIALEM AUDIENDAM

A. D. VI. KALEND. DECEMB. H. X.

OFFICIOSISSIME INVITAT

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN,

PHIL. D. AA. LL. M.

REGIAE SCIENTIARUM ACADEMIAE BORUSSICAE PER EPISTOLARUM COMMERCIUM CONJUNCTUS,
INSTITUTI ARCHAEOLOGICI ROMANI, SOCIETATIS ARTIUM ET DOCTRINARUM RHENO-TRAJECTINAE,
ALIARUMQUE SODALIS ORDINARIUS.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA DIETERICHIANA.

MDCCCXLII.

[illegible]

2 vols.

Saepe multumque me in Platonicae doctrinae reliquiis versantem advertit insigne illud fragmentum, quo gravissimum Graecae sapientiae monumentum, Timaei dialogi partem non exiguam, ab intelligentissimo Latinarum literarum arbitro Cicerone in suum sermonem translatum tenemus; quod etsi propter ipsum interpretationis rigorem ad illustrandam circumscribendamque philosophi sententiam vix quidquam confert [1]), tamen et universae hodiernae formae auctoritatem in comparatione tuetur et singulorum verborum passim et lectionem et intellectum adjuvare potest; denique ad ipsam philosophiae Platonicae historiam non exigui momenti est videre, quomodo spinosissima hujus placita florentissima ingeniorum Romanorum aetate ab eo percepta sint, qui et plurimum eruditionis et studium prorsus singulare ad philosophiam popularibus suis commendandam attulit. Elevavit quidem nuper demum ejus interpretationis fidem atque diligentiam Stallbaumius [2]), neque is sum qui cum F. G. Wagnero [3]), ubicunque interpretationis sententia a verbis qualia nunc legimus discedere videatur, aliam orationis formam Ciceroni ante oculos fuisse suspicer; at quamvis pauci tantum loci in ea reperiantur, quibus emendationem ex con-

1) Apposite ad rem de qua loquimur Hieronymus Comm. in Amos. II. 5, p. 107: *obscurissimus*, inquit, *Platonis Timaeus liber est, qui ne Ciceronis quidem aureo ore fit planior*; quanquam nihil inde culpae in Ciceronis orationem cadere recte monet Petr. Petitus Misc. Obss. III. 3, p. 157: *quasi nuda et simplex versio, quam Cicero dedit ejus dialogi Platonis, quantumvis elegans, magnopere rerum quae in eo tractantur ignaros juvare possit; quarum obscuritatem vix Platonicorum doctissimi justis commentariis depellere potuerunt.* Illud tantum nec ipse diffitetur, nec nos infitias ire poterimus, *Latine quidem conversum a Cicerone Platonis Timaeum, sed non intellectum; non enim*, inquit, *necesse est, si quis alicujus auctoris verba in aliam linguam transferat, ejusdem vim verborum et sententiarum profunda esse animo complexum; neque aureum istud os ad rerum intelligentiam multum affert legentibus momenti, si studium desit et eruditio.* Sed de his pluribus inferius agetur; verborum autem interpretationem, quo arctius se ad exemplar suum applicet, eo magis interdum scriptoris tenebras augere, nostra quoque aetate insignibus documentis compertum est.

2) In novissima Timaei editione, Gothae et Erfordiae 1838. 8, p. 110.

3) *Platons* Timaeus und Kritias, übersezt von Friedrich Wilhelm Wagner, Breslau 1841. 8, p. 20.

jectura cum aliqua fiducia superstruere possimus, tamen nec illud criticum negligere decet, quae potissimum ex tot lectionibus, quot nostri codices exhibent, vetustissimo interpreti praesto fuerit, nec si quando a vera et genuina scriptoris sententia aberravit, interpretis hoc indiligentiae magis quam ipsius libri difficultati tribuam, qui ne intelligatur, ipse Cicero alio loco [4]) *rerum obscuritatem, non verborum facere* ait. Sed priusquam hoc de argumento pluribus quaeri potest, illud ante omnia constare debebit, quod potissimum consilium Cicero in omni hac interpretatione secutus sit, quoque tempore vitaeque condicione constitutus eam susceperit; quod quoniam nec vetustatis testimonio aliquo clare traditur, nec recentiorum quisquam, quantum equidem scio, data opera persecutus est, jam per se philologi disputatione non indignum videatur. Quocirca faustissimam scribendae commentationis opportunitatem nactus, qua professionem eloquentiae ab Augustissimo Hannoverae Rege mihi in inclita hac Academia demandatam rite auspicer, ita hoc negotium instituere decrevi, ut primum de consilio scriptoris in hac interpretatione facienda qualemcunque meam sententiam proferrem, deinde vero ad ea transgrederer, in quibus ipse Cicero Platonis sententiam non prorsus assecutus esse videretur, atque sic demum via munita breviter de iis locis dissererem, in quibus vel post Orellium et Stallbaumium aut Ciceronis ex Platone aut hujus ex illo oratio emendari possit.

Principio quidem illud et primo aspectu patet et jam a Corrado recte observatum est [5]), extremo demum vitae tempore hanc interpretationem a Cicerone conscribi potuisse. In ipso enim praefationis quae exstat exordio: *multa*, inquit, *sunt a nobis et in Academicis conscripta contra physicos et saepe cum P. Nigidio Carneadeo more ac modo disputata*; quod si constat Ciceronem Academicas quaestiones vix triennio ante mortem a. u. 709 literis mandasse [6]), tempus, quo Timaeum post Academica interpretari potuit, satis angustis terminis circumscribitur; eodemque conducunt sequentia, ubi quum P. Nigidium *fuisse* praedicet,

---

4) De Finib. II. 5. 15. Cave vero eodem referas cum Petito alterum Ciceronis dictum ad Att. VII. 13, ubi aenigma quoddam *numero Platonis obscurius* appellat; hoc enim recte docuit Boeckhius in Daubii et Creuzeri Studiis T. III, p. 43 non numeros in Timaeo sed impeditissimum illum locum de Republ. VIII, p. 546 spectare, in quo expediendo quousque progredi liceret ipse expertus sum in Prooem. lectt. Marburg. aest. 1839.

5) Sebast. Corradi Quaestura, Lips. 1754. 8, p. 268.

6) Cf. ad Att. XIII. 12 sqq. Schützius quod in Prolegg. T. XIII, p. 4 a. u. 708 posuit, per errorem factum esse videtur; verum numerum ipse posuit in vita Ciceronis T. XX, p. 382.

mortem hominis, quam is eodem tempore circiter anno ante Caesarem in exilio obiit [7]), cognitam habuisse manifestum est. His autem ita constitutis vix credibile est Ciceronem hanc quoque interpretationem eo consilio suscepisse, ut oratoriam facultatem exerceret sermonisque copiam et usum nancisceretur; quod etsi ipse in libris de Oratore sub Crassi persona merito commendat [8]) et Quinctilianus illum libros Platonis et Xenophontis hoc genere translatos edidisse narrat [9]), neutiquam tamen arbitror aut Timaeum quoque a Quinctiliano hoc numero comprehensum esse, aut si maxime sit, jure id factum dici posse. Xenophontis certe Oeconomicum ipse Cicero [10]) adolescentem se convertisse narrat, quum eadem fere aetate esset, qua Marcus filius tum erat, quum libros de Officiis ad illum perscripsit, hoc est quum unum et vicesimum annum ageret; eodemque viri docti probabiliter retulerunt Protagorae Platonici interpretationem, cujus notitiam nobis Priscianus, Donatus, Hieronymus tradiderunt [11]); quam quod alii et ipsum in senectutem hominis rejiciunt [12]), verba Ciceronis, unde hoc colligunt, non satis recte explicare videntur. Mitto Plutarchi testimonium, quo provocant, cui per interpolationem

---

7) Hieron. ad Euseb. Chron. p. 152; cf. Bayle Dict. hist. T. III, p. 509 et Burigny in Mem. de l'Acad. d. Inscr. T. XXIX, p. 192.

8) Orat. I, 34: *postea mihi placuit eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem;* quae quum manifestum sit Ciceronem ex suae ipsius vitae memoria ad Crassi personam transtulisse, hoc imprimis advertendum est, quod se *adolescentem* hoc exercitationis genere usum esse narrat.

9) Inst. Orat. X. 5, 2; adde Hieron. Praef. ad Euseb. Chron. p. 3: *vetus iste disertorum mos fuit, ut exercendi ingenii causa Graecos libros Latino sermone absolverent . . . unde et noster Tullius Platonis integros libros ad verbum interpretatus est.*

10) Offic. II. 24.

11) Nobbius in Cic. opp. uno volumine comprehensis, Lips. 1828. 4, p. 1150: *Protagoram vero et alios nescio quos Platonis libros quum alii tum Schützius a Cicerone in juventute in Latinum esse conversos propterea statuere videntur, quod Xenophontis Oeconomicum ipse Cicero a se adolescente adhuc in Latinum esse translatum scribit;* cf. Schütz. T. XX, p. 357 et I. A. C. van Heusde M. Tullius Cicero φιλοπλάτων, Traj. ad Rhen. 1836. 8, p. 92.

12) Franc. Fabricius in hist. Ciceronis apud Orell. Onomast. P. I. p. 20: *id tamen Ciceronem potius extremo tempore aetatis, quam hoc fecisse putamus;* cf. p. 96: *quum praesertim constet Ciceronem nisi extremo hoc tempore Graecos scriptores non vertisse;* qua confidentia etiam Heusdio ita imposuisse videtur, ut is p. 274 juvenem quidem interpretatum esse Protagoram, at senem demum edidisse argutatur. At enim hoc artificio vix quidquam coactius aut a Ciceronis persona alienius excogitari poterat; quem vel eorum, quae sola ex juvenilibus ipsius scriptis ad nostrum tempus pervenerunt, ita posterius poenituit, ut ea *puero sibi aut adolescentulo ex commentariolis suis inchoata ac rudia excidisse neque hac aetate digna* esse cum summo contemtu profiteretur; cf. Orat. I. 2.

demum Platonis nomen intrusum esse apparet [13]); quod autem Cicero in libro proxime post Academica scripto [14]) ullum a se ad id usque tempus Platonis librum conversum negare videtur, de eo tantum interpretationis genere agit, quo Ennius et Pacuvius aut Terentius et Caecilius Graeca exemplaria ad Romanorum intellectum transtulerant; quod satis liberum fuisse inter omnes constat; Protagorae vero vel quae supersunt reliquiae fidelissimam interpretationem fuisse testantur, cui si Quinctilianus aut Timaeum adjunxisset aut ipsam in idem cum Timaeo tempus rejecisset, nimis hercle praepostere summi oratoris exercitationes collocasset. Neque omnes Ciceronis quae olim exstiterunt interpretationes Quinctilianum illa sententia comprehendisse, vel inde prodit, quod nec Demosthenis Aeschinisque orationes Ctesiphonteas commemoravit, quarum interpretationi ipse qui nunc exstat Ciceronis libellus de optimo genere oratorum pro praefatione fuit; qua in omissione tantum abest ut cum Ruhnkenio [15]) lacunae indicium deprehendere mihi videar, ut ne locus quidem in Quinctiliani argumento his orationibus fuerit, quas claris verbis Cicero non sui exercendi causa sed studiosorum in gratiam conversas esse ait, ut veram Atticae eloquentiae indolem optimorumque exemplorum vim et gravitatem cognoscerent [16]). Nec tamen vel huic Ciceronis instituto Timaeum ita comparari velim, ut verbi causa factum est a Georgio Valla in epistola ad Hermolaum Barbarum praemissa editioni Venetae a. MCCCCLXXXV, ubi haec legimus: *perindeque videri nobis posset Cicero ad res multas offusas caligine et ad doctrinae mirificae sensus Latine enodandos explicandosque suam experiri voluisse eloquentiam, non minus quam ex Aeschinis et Demosthenis, quas in se invicem habuerunt oratores illi insignes, capitalibus orationibus*; itemque in epilogo: *hunc vero locum Latine facere voluisse, quo in dicendo fieret explicatior: quando-*

13) Plut. V. Cicer. c. 40: *ἐκ τούτου Κικέρων, εἰς μοναρχίαν τῆς πολιτείας μεθεστώσης, ἀφέμενος τοῦ τὰ κοινὰ πράττειν ἐσχόλαζε τοῖς βουλομένοις φιλοσοφεῖν τῶν νέων . . . αὐτῷ δ' ἔργον μὲν ἦν τὸ τοὺς φιλοσόφους συντελεῖν διαλόγους καὶ μεταφράζειν*, ubi praeter omnem librorum auctoritatem Heusdius cum Solano adjecit *τινὰ τοῦ Πλάτωνος*; quos enim codices testatur, nihil sunt nisi farragines Vulcobii et quae Anonymi appellari solet, quarum fidem admodum dubiam multoque saepius virorum doctorum conjecturis quam vetusta lectione fultam erudite existimavit Sintenis ad V. Themist. p. xxxiv et ad V. Periclis p. 269 sqq.

14) De Finib. I. 3: *quam ob rem si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poëtae fabulas, male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem! Sed id neque feci adhuc, nec mihi tamen ne faciam interdictum puto* etc.

15) Ad Rutil. Lup. p. xviii.

16) Opt. gen. orat. c. 5: *sed quum in eo magnus error esset, quale esset id dicendi genus, putavi mihi suscipiendum laborem utilem studiosis, mihi quidem ipsi non necessarium* etc.

quidem res difficiles et abstrusas, cujusmodi totus hic ferme locus est, verbis consequi posse, quantam dicendi vim quantamque copiam in verbis comparet, ipse satis in Oratore et qui de arte dicendi nobis praecepta reliquerunt, non injuria persuadere conati sunt, siquidem hinc potissimum et ingenii vires et eloquentiam alicujus nobis licet intueri; quibus verbis nec ipsum Demosthenis interpretandi consilium recte declaratum, neque ea similitudo demonstrata est, qua Timaei interpretationem cum illa contineri voluit. Atque omnino sic habendum est, solius ostentationis experiendique ingenii causa nihil unquam a Cicerone scriptum esse, nisi simul aliquam utilitatem aut ipsi aut civibus afferret; quod si de ipsius exercitatione in sexagenario vix amplius cogitari potest, illud maxime circumspiciendum est, cui hominum generi quibusque studiis hanc interpretationem utilem fore speraverit. Ea vero longe alia esse debuisse, ac quorum in commodum Demosthenem et Aeschinem interpretatus est, et argumentum operis et ipsa forma satis superque docet. Nempe de argumento vix est quod moneam, non ea mente Timaeum a Cicerone in Latinum sermonem converti potuisse, qua eloquentiae Graecae principes transtulit, ut eum popularibus suis ad imitationem et rectae harum rerum tractationis exemplar proponeret; qui quantumvis summus Platonicae sapientiae cultor atque amicus fuerit, tamen et ipsorum quae in Timaeo docentur inconstantiam arguit [17]), utque hoc ex Epicurei potius quam Ciceronis sententia dictum esse concedamus [18]), in ipsa Timaei praefatione claris verbis profitetur se quum in libris suis contra physicos scripsisse, tum cum Nigidio philosopho Platonico Carneadeo more hoc est dubitanter atque in utramque partem saepe disputasse, ut nihil minus probabile sit, quam hoc ipsi in eo negotio propositum fuisse, ut Romanos ad naturam rerum Platonis vestigiis perscrutandam invitaret. Nec forma operis cum ea comparari potest, qua se in illis orationibus usum esse ostendit. Has enim, si ipsum audimus, non convertit *ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem et earum formis tanquam figuris, verbis ad Romanorum consuetudinem*

---

17) Nat. Deor. I. 12. 30: *jam de Platonis inconstantia longum est dicere; qui in Timaeo patrem hujus mundi nominari negat posse . . . idem et in Timaeo dicit et in Legibus et mundum deum esse et caelum et astra . . . quae et per se sunt falsa perspicue et inter sese vehementer repugnantia.*

18) Cf. imprimis Krischium Forschungen auf dem Gebiete der alten Philosophie T. I, p. 181: *es ist ganz irrig, wenn Richter de ideis Platonis p. 4 in den Worten* de Platonis inconstantia longum est dicere *ein über Platons Lehre gefälltes allgemeines Urtheil des Cicero findet, ohne zu berücksichtigen, dass dieses bloss im Geiste eines Epikureers gesprochen und nicht weiter auszudehnen ist, als der jetzige epikureische Standpunct verstattet.*

aptis, nec verbum pro verbo necesse habuit reddere, sed genus omnium verborum vimque servavit, ut se *ea appendisse* magis quam *annumerasse lectori* praedicaret; Timaei autem pleraque verba fideliter expressit, paucisque tantum in locis aut omisit nonnulla aut ita transposuit, ut constructionis ratio propius ad Latini sermonis indolem accederet, paucioribus etiam aliquid de suo adjecit, totum denique negotium ita administravit, ut vel magis Latinum sermonem ad Graeci similitudinem detorsisse quam Graeci scriptoris sententias ad patriam consuetudinem transtulisse videatur. Quid quod vel plura vocabula in paucis his paginis novasse deprehenditur, quam in aliis ipsius libris integris ἅπαξ λεγόμενα exstant [19]; quod etsi non ita comparatum est, ut in tanto ditandi patrii sermonis studio, quantum Cicero ubique prae se fert [20], offensionem creare aut ipsam libelli auctoritatem in dubitationem vocare possit, quae locupletissimis veterum testimoniis extra discrimen posita est [21], hoc tamen clare ostendit, multo magis se Ciceronem exemplo suo addixisse, quam in orationibus illis factum esse ex ipsius verbis colligimus. Illud tantum animadvertendum est, atque in eo etiam a juvenilibus illis interpretationum conaminibus insigniter discedit, quod non ita se in interpretando gessit, ut ipsas personas Platonicas, quales in Timaeo inter se confabulantur, sermone tantum pro Graecis Latino substituto produceret, sed quamvis servata ea

---

19) Prorsus unicum est, quod c. 2 *corporatum* dicit, qui Platoni est σῶμα ἔχων, itemque c. 4 *adspectabile*, quod huic ὁρατόν, nec *tractabile* pro ἁπτῷ ex usu magis quam analogia sermonis ductum dixerim; praeterea quamvis *molitionem* ut c. 3 etiam Nat. Deor. I. 8 et 9 usurparit, *molitorem* tamen c. 5 prorsus nove dixisse videtur. *Medietatum* vocabulo pro μεσότησι c. 7 vix ipse uti ausus est; non minus tamen insolite c. 11 ἄλυτα Platonis *indissolubilia* reddidit, nec *unigenam* c. 4 ex vulgi consuetudine petitum potius quam ad similitudinem Graeci μονογενής effictum erit. Mitto *universitatem, fabricatorem, aedificatorem, procreatorem, dividuum*, quae licet et ipsa ab illo primum cusa esse videntur, tamen etiam alibi posita inveniuntur; *defenstrix* tamen etiam Prisciano T. II, p. 282 od. Krehl. annotanda visa est, nec *revocationes solstitiales et brumales* c. 9 quamvis felicis audaciae culpa vacare arbitror.

20) De Finib. III. 2: *quod si in ea lingua, quam plerique uberiorem putant, concessum est, ut doctissimi homines de rebus non pervagatis inusitatis verbis uterentur, quanto id nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere?* Cf. Acad. I. 7; item de Nat. Deor. I. 4: *tantum profecisse videmur, ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceremur*, et quod sub Crassi persona de Orat. I. 34 ipsis interpretationibus se assecutum esse jactat, ut *non solum optimis verbis uteretur et tamen usitatis, sed etiam exprimeret quaedam verba imitando, quae nova Romanis essent, dummodo essent idonea*; adde Plut. V. Cic. c. 40.

21) Hac de re jam Corradus in Quaestura p. 268: *vidi*, inquit, *qui dubitarent, an illud opus fuerit a Cicerone conversum; at Nonius Marcellus et ceteri grammatici veteres non dubitarunt, qui Timaeum Ciceronis appellant; nec divus Augustinus dubitavit, qui multos etiam versus inde descripsit.*

dialogi forma, qua is qui verba facit alios coram astantes alloqui videatur [22]), tamen et interlocutionem sustulit, qualis in ipso illo loco, quem fragmentum nobis relictum comprehendit, in Graecis cernitur [23]), et omnem nominis alicujus appellationem ita evitavit, ut nihil minus certum sit, quam ipsius hujus dialogi participes atque auditores eosdem cogitandos esse, quos apud Platonem cum Timaeo junctos videmus. Longe aliter hoc in Protagora instituit, cujus veram interpretationem fuisse vel exiguae illae reliquiae declarant, quas Priscianus ex eo dialogo servavit [24]); in Timaeo autem ne id quidem constat, ipsa quae legimus verba apud Ciceronem quoque ut apud Platonem ex Timaei Pythagorici persona dicta fuisse; immo identidem ita conformatam orationem deprehendimus, ut et is qui loquitur et ii quibuscum loquitur Romani esse videantur, nec si vel ea ex Timaei ore repetiit, quibus ille apud Platonem auditores suos alloquitur, tantum hoc ponderis habet, ut credamus Graecum hominem ita loquentem induci potuisse, ut Latini sermonis consuetudinem tanquam suam Graecae tanquam peregrinae opponeret. Ita vero c. 4 Graeco ἀναλογίας vocabulo haec subjicit: *Latine (audendum est enim, quoniam haec primum a nobis novantur) comparatio proportiove dici potest*; item c. 6: *globosum est fabricatus, quod* σφαιροειδὲς *Graeci vocant*; c. 7: *vix enim audeo dicere medietates, quas Graeci* μεσότητας *appellant*; insignissime autem c. 10: *ut hunc hac varietate distinctum bene Graeci* κόσμον, *nos lucentem mundum nominaremus*, et c. 11: *quos Graeci* δαίμονας *appellant, nostri, ut opinor, Lares, si modo hoc recte conversum videri potest*, neque illud Graecum magis quam Latinum oratorem declarat, quod aut pro Tethy *Salaciam* Oceano uxorem addidit, aut ad *prosapiae* vocabulum data opera *veteri se verbo uti* annotavit; quae si cum iis comparaverimus, quibus etiam in aliis dialogis suis philosophicis Latinum sermonem ad Graecae libertatis aemulationem traducere conatur [25]), haud scio an de toto hoc fragmento longe aliter judicaturi simus,

---

22) Sic imprimis c. 3: *aequum est enim meminisse et me qui disseram hominem esse et vos qui judicetis, ut si probabilia dicentur, ne quid ultra requiratis.*

23) P. 29 D: *ἄριστα, ὦ Τίμαιε, παντάπασί τε ὡς κελεύεις ἀποδεκτέον κτλ.* Socratis quoque appellatio p. 29 C a Latinis abest.

24) Cf. Priscian. VI. 11. 63: *quid tu? unde tandem appares, o Socrates? an quidem non dubium est quin ab Alcibiade?* itemque Hippiae verba VIII. 7. 35: *nunc a vobis, o Protagora et Socrates, postulo, ut de isto concedatis alter alteri* etc.

25) Cf. v. c. Academ. I. 7. 25: *qualitates igitur appellavi quas ποιότητας Graeci vocant, quod ipsum apud Graecos non est vulgi verbum sed philosophorum, atque id in multis.* Ibid. I. 11. 40: *quam*

atque ab iis factum est, qui nihil nisi interpretationem attendentes hoc tantum consilium Ciceroni tribuerunt, ut aditum popularibus quacunque de causa ad philosophi Graeci penetralia aperiret. Nimirum si hoc volebat, aut omnis dialogi forma tollenda, aut si eam retinere placuerat, personarum quoque Platonicarum condicio servanda erat, nisi forte Ciceronem eodem modo lusisse arbitramur, quo palliatarum poëtae personas Graecas cum lingua simul etiam ad Romanae consuetudinis sermonem deformarunt; quorum quum ille neutrum fecerit, sed clarissime Romanum hominem ex Platonis sententia disserentem introduxerit, vide ne totus hic locus quamvis ipsis verbis ex Platone expressus majoris alicujus operis pars fuerit, quo Cicero doctrinam de origine et natura rerum simili modo tractaverit, quo circa eandem aetatem plerasque reliquae philosophiae partes vel Platonico vel ut ipse ait Aristotelio more in dialogorum formam redegit. Ac tale quid etiam Heusdio suboluisse videtur, digno eloquentissimi parentis filio, qui in erudita disquisitione de philosophiae Ciceronianae fonte praecipuo ita de hoc libello disputavit [26]: *superest exordii initium, ex quo satis certo argumento patet, non omnino conversum a Cicerone totum Platonis dialogum esse, verum excepta Timaei Pythagorei oratione continua reliqua ipsius arbitrio conscripta atque inventa esse*; idem tamen quum praejudicata opinione ductus nihilominus Platonis potissimum gratia hanc interpretationem institutam putet, eamque adeo cum illa Protagorae eodem loco habeat, nec ipse hoc inventum firmo gradu persequi ausus est, et censorem suum Monacensem, dum is se idem cum illo sentire arbitratur, in omnia alia abripuit. Is enim, quem Josephum Koppium fuisse arbitror, hoc maxime animo Timaeum a Cicerone translatum esse existimat, ut sub finem vitae ad profundiorem rerum contemplationem reverteretur et quasi insipientis sapientiae per-

---

ille φαντασίαν, nos visum appellemus licet. Ibid. II. 17. 54: *ea dico incerta, quae ἄδηλα Graeci.* Fin. III. 7. 26: *sentis enim, credo, me jam diu, quod τέλος Graeci dicunt, id dicere tum extremum, tum ultimum, tum summum.* Ibid. III. 16. 53: *quod enim illi ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem.* Ibid. IV. 27. 74: *haec παράδοξα illi, nos admirabilia dicamus.* Tuscul. I. 7. 14: *pronunciatum; sic enim mihi in praesentia occurrit, ut appellarem ἀξίωμα: utar post alio, si invenero melius.* Ibid. IV. 11. 25: *mulierositas, ut ita appellem eam, quae Graece φιλογύνεια dicitur.* Nat. Deor. I. 8. 18: *Stoicorum πρόνοιαν, quam Latine licet providentiam dicere.* Ibid. II. 18. 47: *ex solidis globus: sic enim σφαῖραν interpretari placet; ex planis autem circulus aut orbis, qui κύκλος Graece dicitur.* Divin. II. 44. 92: *qui a Graecis ὁρίζοντες nominantur, a nobis finientes rectissime nominari possunt.* Ibid. II. 53. 108: *quae λήμματα appellant dialectici; sed nos Latine loqui malumus* etc.

26) L. c. p. 273.

taesus in hac demum mundanae constitutionis imagine solatium et certum divinae providentiae persuasionem inveniret [27]; quo nihil magis aut ipsis quae superius posui exordii verbis contrarium aut a tota Ciceronis indole alienum cogitari potest, qui tantum abest ut unquam a Carneadeo illo more recesserit, ut vel in Officiorum libris, quos omnium fere extremos scripsit, eandem doctrinam professus sit [28] atque ita tantum se Platonicum dixerit, ut hac appellatione etiam Peripateticos, acerrimos Timaei adversarios, comprehenderet [29]. Neque in eo ipso libro, cujus fragmentum nostrum partem fuisse suspicor, eundem morem Ciceronem deserere voluisse puto; quum librum si recte per integrum decennium auditoribus Marburgensibus ita descripsi, ut ultimum locum tenere dicerem in ea serie, qua ille extremis vitae suae annis universum philosophiae orbem continuo ordine comprehendere aggressus est, nec ipsum aliter institui ac disponi potuisse censeo, atque in plerisque et insignissimis hujus seriei libris ab eo factum esse videmus. Cicero videlicet quum in taediosissimo otio, quo per Caesaris dominationem compulsus erat, ita certe reipublicae consulere decrevisset, ut optimarum artium vias civibus suis traderet et unum illud literarum genus, quo Graeci etiam tum Latinos supe-

---

27) Münchner gelehrte Anzeigen 1837, T. II, p. 779: *was sie auf Platons Timaeus gebracht, das wissen wir nicht; vermuthlich aber fanden alle drey für ihre liebsten Ueberzeugungen und Ansichten in dem griechischen Werke Anklang und erhebende Bestätigung . . . Cicero insbesondere mochte sich durch eine so schöne Schilderey von der Wohlordnung und Harmonie der Welt und von den weisen und hohen Absichten des Schöpfers um so mehr gehoben und gestärkt fühlen, je wenigere Resultate, fruchtbare und erbauliche Grundsätze ihm seine akademischen Untersuchungen lieferten . . . die Uebersetzung des Timaeus dünkt mir seinen Uebergang von der akademischen Unschlüssigkeit und Zweifelsucht zur höheren Anschauung des Weltganzen und Beruhigung in derselben zu bezeichnen, und sein eigentliches Glaubensbekenntniss, gleichsam sein Testament in der speculativen Philosophie zu seyn!*

28) Insignissimus locus est de Offic. II. 2. 7, ubi claris verbis se etiam tum Academicum, hoc est Carneadeum profitetur; cf. R. Kühner. de Cic. in philos. meritis, Hamb. 1825. 8. p. 66 sqq.; quod si hos libros extremo anno 710 u. c. scriptos esse constat, vix unus isque omnium turbulentissimus annus Ciceroni ad hanc somniatam conversionem relinquetur. Immo jam tum quidquid philosophici argumenti scripsit absolutum fuisse inde colligi potest, quod philosophicos suos libros orationes jam paene aequare ait I, 1, 3.

29) Offic. I. 1. Koppius quidem etiam Cratippum a Timaei argumento non alienum fuisse inde colligit, quod is manticae studiosissimus fuerit; at enim claris verbis tradit Cicero de Divin. I. 50. 113 et II. 48. 100, Cratippi de vaticinatione sententiam eandem fuisse quam Dicaearchi, quem si quis Timaeo magnopere delectatum esse statuat, nae is sanequam perverse de Aristotelis discipulo judicet; cf. Cic. Tuscul. IV. 34 et Plut. Quaestt. Symp. VIII. 2. 2. Aristotelem ipsum quum alia passim Timaei placita impugnasse scimus, tum ἀντιῤῥήσεις πρὸς τὴν ψυχογονίαν γεγραμμένας reliquisse legimus apud Proclum in Timaeum p. 226; cf. Zeller. Platon. Studien p. 266 sqq.

rare videbantur, philosophiam, sua industria quasi in Latium transferret [30]), ita hoc consilium persecutus est, ut primum quidem in Hortensio de omni sapientiae studio dissereret [31]), deinde vero in Academicis dialecticae, in libris de Finibus bonorum et malorum ethicae disciplinae fundamentis positis postremo ad physicam transirct, cujus quum insignissima pars ex antiquitatis sententia in theologia posita esset, hujus quidem loci quaestionem non solum tribus libris de Natura Deorum comprehendit, sed etiam ut esset plene cumulateque perfecta, de Divinatione Fatoque totidem adjecit [32]); ne tamen his quae aetatem tulerunt totum ei philosophiae campum conclusum et absolutum visum esse putemus, ipsius verba prohibent [33]), quibus post enumeratos quos modo recensuimus libros aliosque, quos in eodem genere prius scripserat, ita pergit: *adhuc haec erant; ad reliqua alacri tendebamus animo, sic parati, ut nisi quae causa gravior obstitisset, nullum philosophiae locum esse pateremur, qui non Latinis literis illustratus pateret;* quod si hoc certe extra omnem dubitationem positum est, eam philosophiae partem, quae de rerum natura est, his quaestionibus, quae ad deos fatumque pertinent, non absolvi, ipso Ciceronis testimonio freti et fieri potuisse et ipsi propositum fuisse statuemus, ut etiam reliquos ejus partis locos de creatione mundi et humani corporis fabrica deinceps tractaret. Id vero si fecit, eodem modo fieri consentaneum erat, quem etiam reliqui libri, qui ex hoc orbe exstant, prae se ferunt, ut variarum scholarum placita a variis hominibus enarrentur, ipsius autem scriptoris sententia aut in fine tantum accedat aut ceteris ita opponatur, ut nihilo minus in utramque partem disputari posse appareat [34]); quae quum ita sint,

---

30) Cf. Tuscul. I. 3. 5: *philosophia jacuit usque ad hanc aetatem nec ullum habuit lumen literarum Latinarum; quae illustranda et excitanda nobis est, ut si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi;* ibidemque II. 2. 5: *quamobrem hortor omnes, qui facere id possunt, ut hujus quoque generis laudem languenti jam Graeciae eripiant, et perferant in hanc urbem, sicut reliquas omnes, quae quidem erant expetendae, studio atque industria sua majores nostri transtulerunt;* tum de Nat. Deor. I. 4: *primum ipsius rei publicae causa philosophiam nostris hominibus explicandam putavi, magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis, res tam graves tamque praeclaras Latinis etiam literis contineri;* imprimis autem Divin. II. 1 pluraque apud Meiners. verm. philos. Schriften, Lips. 1775. 8. T. I, p. 282 sqq., H. Chr. Frid. Hülsemann. de indole philosophica Ciceronis, Lunaeb. 1799. 4, et Kühner. l. c. p. 62 sqq.

31) Hortensii libri Ciceroniani fragmenta nuper collegit et edidit Frid. Schneiderus Trzemesznoviae 1841. 8.; praeterea cf. Heusdium l. c. p. 250 sqq. et Ritschelii Mus. Rhenan. T. I, p. 128 sqq.

32) Cf. Krischii Forschungen etc. p. 4.

33) Divin. II. 2.

34) Hic enim est *Aristotelius mos*, quo se in posterioribus suis scriptis uti profitetur ad Att. XIII,

quum nihil ex omnibus quotquot novimus Ciceronianarum literarum reliquiis ad explendam lacunam, quam in ipso scriptorum philosophicorum fine remanere diximus, aptius videatur quam id argumentum, in quo Timaei sermo versatur, haud scio an jure nostro suspicemur, illic quoque Ciceronem non in sola placitorum Platonicorum interpretatione substitisse, sed haec et ipsa uni tantum ex collocutoribus tribuisse eique etiam alia subjicienda duxisse, quibus inter se oppositis demum hic quoque locus eadem qua reliqui ubertate illustratus videri poterat. Atque hic illud potissimum commodissime accidit, quod ex ipsa quae exstat praefationis parte praeter Ciceronem duos alios homines cognoscimus, quibus vix aptiores ad talem concertationem inveniri poterant, P. Nigidium Figulum et Cratippum Peripateticorum principem, quibuscum se pro consule in Ciliciam proficiscentem Ephesi convenisse narrat; quorum personis si eum ita usum esse statuimus, ut alter Pythagoreorum placita, qualia Plato in Timaeum suum contulerat, enarraret, alter his Aristotelis physiologiam opponeret [35]), longe profecto dignius Tulliano ingenio argumentum censeo, quam si summum oratorem nihil nisi interpretem alieni operis egisse existimemus. Quanquam de Cratippo rem in ambiguo relinquo, cui si quis alium quemcunque Romanum substituere voluerit, ut in hac quoque parte Cicero pristinam suam consuetudinem servaverit, non repugnabo [36]); de Nigidio vero quo diutius recogito, eo certior mihi res fieri videtur, nec Heusdii auctoritate hac in sententia destituor, nisi quod is Timaei argumentum praecipuum fuisse ratus totius

---

19; quem licet illic obscurius significaverit, clarissime descripsit Tuscul. II. 3. 9: *itaque mihi semper Peripateticorum Academiaeque consuetudo de omnibus rebus in contrarias partes disserendi non ob eam causam solum placuit, quod aliter non possit quod in quaque re veri simile esset inveniri, sed etiam quod esset ea maxima dicendi exercitatio; qua princeps usus est Aristoteles, deinde eum qui secuti sunt;* eoque loco confirmatur etiam Krischii disputatio l. c. p. 18, quam impugnare non debebat M. M. von Baumhauer de Aristotelia vi in Ciceronis scriptis, Traj. ad Rhen. 1841. 8. p. 99, merito vero consensu suo approbavit Prellerus de Praxiphane Peripatetico, Dorpat. 1842. 4. p. 15.

35) Non me fugit esse, ut Madvig. ad Cic. de Finib. p. 858 sqq., qui omnino negent Ciceronem quidquam ex philosophicis Aristotelis scriptis legisse, nec infitior plurimorum, quae hunc auctorem prae se ferunt, etiam recentiores fontes patuisse; potuisse tamen Ciceronem etiam physicos metaphysicosque illius libros nosse, non modo Stahrius Aristot. T. II, p. 158, sed etiam Brandisius et Koppius in Niebuhrii Rh. Mus. T. I, p. 281 et T. III, p. 99 abunde demonstrarunt, nec quod Krischius l. c. p. 19 Hortensii fragmentum apud Nonium p. 264 affert, tantam vim habet, ut illum a *contentione*, quam *Aristoteli explicando adhibendam esse* ait, prorsus abhorruisse persuadeat.

36) In universum enim recte Krischius p. 19: *wenn er die mythischen Personen aufgab, so leitete ihn immer der ächt Römische Grundsatz, nur ausgezeichneten Männern seiner Nation, die noch in ehrenvollem Andenken fortlebten, die Rollen zu überlassen* etc.

colloquii principatum ad illum detulit, quem ego ita tantum excelluisse arbitror, ut ipsae Timaei partes ad digniorem deferri non potuerint. *Fuit enim*, ut Ciceronis verbis utar, *vir ille quum ceteris artibus, quae quidem dignae libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator et diligens earum rerum, quae a natura involutae viderentur*, eodemque nomine quum ab aliis posteriorum [37]) tum a Lucano praedicatur Pharsal. I. 639:

at Figulus, cui cura deos arcanaque caeli
nosse fuit, quem non stellarum Aegyptia Memphis
aequaret visu numerisque moventibus astra;

nec si quibusdam Varro praecellere in theologia visus est [38]), minus ideo dignum habuit Cicero qui Pythagoreorum disciplinam exstinctam renovaret. Imprimis vero etiam Etruscas religiones curasse videtur, quo ex genere etiam nunc exstant fulguralium reliquiae, quas ex ipsius libris Jo. Laurentius Lydus in Graecum sermonem transtulit, atque haud scio an ex ipsius potissimum sententia factum sit, ut Cicero in nostro libello δαίμονας Graecorum cum Laribus Etruscorum potius quam cum Geniis comparaverit [39]); de Laribus certe in diversis libris Nigidium egisse constat [40]), utque id eruditionis potius et historiae quam religionis causa fecerit, ne in Timaeo quidem aliter commemoratur, nisi ut *veteribus et priscis viris credendum sit, qui eorum vocabula posteris prodiderint*. Ne quis autem miretur integrum fere dialogi Platonis locum vel etiam integrum dialogum — de hoc enim nondum quaero — ita transsumi a Cicerone potuisse, ut apud hunc prorsus alieno ore proferretur, simillima exempla nec nisi brevitate a nostro differentia etiam in aliis hujus libris ita Latine expressa exstant, ut nisi aliunde originem eorum nossemus, non calamo tantum Ciceronis sed etiam ingenio deberi cen-

---

37) Cf. Nonius p. 441: *P. Nigidius studiis bonarum artium praecellentissimus*; Serenus Sammonicus apud Macrob. Saturn. II. 12: *maximus rerum naturalium indagator Nigidius Figulus*; pluraque apud Burignium in Mem. de l'Acad. d. Inscr. T. XXIX, p. 192 et O. Müller. Etrusker T. II, p. 34.

38) Servius ad Aen. X. 175: *Nigidius autem solus est post Varronem, licet Varro praecellat in theologia, hic in communibus literis; nam uterque utrumque scripserunt.*

39) C. 11: *reliquorum autem, quos Graeci δαίμονας appellant, nostri, ut opinor, Lares, si modo hoc recte conversum videri potest.* Atqui revera ita converti poterat, si quidem δαίμονας teste Lactantio Inst. Divin. II. 14. 12 Latino sermone *Genios* interpretabantur, *eundem autem esse Genium et Larem multos veterum memoriae prodidisse* testatur Censorinus de die natali c. 3.

40) Arnob. adv. gentes III, p. 124.

sermone [41]), nec si ea respicimus, quae nuper de Phaedri Epicurei libro ejusque repetitione in primo de Natura Deorum felicissimo successu disputata sunt [42]), nimium dixisse nobis videbimur, si eorum imprimis librorum, ad quorum genus Timaeum nostrum proxime accedere dixi, plurimam partem vix aliter ex Graecis exemplaribus prodiisse statuerimus, quae ea tantum de causa non apparent, quia non eadem cum Platone praestantia et auctoritate usa sunt. Quid quod ipse Cicero exiguitatem proprii laboris in hoc scriptorum suorum genere ita declarat, ut *ἀπόγραφα* esse dicat, quibus verba tantum, quibus abundet, afferat [43]); neque alio sensu aut Plutarchus in vita ejus c. 40 jungit *τὸ τοὺς φιλοσόφους συντελεῖν διαλόγους καὶ μεταφράζειν καὶ τῶν διαλεκτικῶν ἢ φυσικῶν ὀνομάτων ἕκαστον εἰς Ῥωμαϊκὴν μεταβάλλειν διάλεκτον*, aut ipse de Finib. I. 3 pollicetur se *locos quosdam, si visum fuerit, translaturum, quum inciderit, ut id apte fieri possit, ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solitus sit*, quibus comparationibus lucidissime patet, nec de integri operis interpretatione, qualem olim Protagorae fecerat, nec de libera imitatione, quali palliatarum poëtae comicos Graecos aut Pacuvius Acciusque Euripidem expresserant, sed de eodem more agi, quo plurimos ipsius libros philosophicos conscriptos esse dixi, ut universam quidem operis formam et argumentum de suo peteret, huic autem passim Graecorum scriptorum locos in Latinum sermonem conversos vel nominato vel etiam tacito auctore interponeret, quos quamvis ut nunc Timaeum paene verbum ex verbo reddidisset, ipse tamen liber solum interpretationis nomen non mereret. Unum illud totas has rationes conturbare possit, quod vetustissimi et grammatici et alii auctores libellum nostrum semper Timaei nomine appellant [44]), neque ego contendam antiquiorem esse inscriptionem *de universitate*, quam pleraeque editiones antiquae prae se ferunt; sed huic quoque difficultati id remedium in promtu est, quod etiam a silentio Ciceronis de hoc opere confirmationem accipit, ut ab ipso scriptore inchoatum tantum, non absolutum, atque eam modo partem in commentariis repertam

41) Sic in Catonem de Senectute c. 3 plurima tacitus transtulit ex Platonis Republ. I, p. 329, integrumque locum ex Phaedro p. 245 in librum de Republ. VI. 25, cujus etsi in Tuscul. I. 22 fontem indicat, superiore tamen libro alto silentio pressit.

42) Cf. Petersen in Indice schol. gymn. Hamburg. 1833, quo utuntur et Madvig. l. c. p. 859 et Krischius p. 29 sqq.

43) Ad Attic. XII. 52.

44) Cf. Nonius s. v. *exordium* p. 30 et s. v. *curriculum* p. 198; Priscian. de XII vers. Aeneid. c. 2 etc.

esse statuamus, quae ex Timaeo repetita nostraque ex conjectura Nigidii personae destinata esset. Aliquam utique libri particulam etiam librariorum culpa vel temporis iniquitate interiisse inde colligi potest, quod et Nonius integrum versum servavit, qui a nostris codd. abest, et Priscianus in eo vocabulum *defenstrix* legerat, quod in iis quae exstant frustra quaerimus; his tamen aptissimus locus patet in lacunis illis, quibus ipsa quam tenemus interpretatio identidem interrumpitur, utque Noniano fragmento dudum sedes reperta est p. 38 C, ita p. 45 D quod in Graecis est *σωτηρίαν γὰρ ἣν οἱ θεοὶ τῆς ὄψεως ἐμηχανήσαντο τὴν τῶν βλεφάρων φύσιν*, insolitam *defenstricis* vocem eo magis flagitare poterat, quo minus alioquin Latinus sermo ad vim ejus quod Graece erat *σωτὴρ* uno verbo exprimendam sufficiebat [45]). Reliquam vero Timaei partem post p. 47 B a Cicerone perfectam esse ne ii quidem contendere audebunt, qui nihil illi praeter interpretationem dialogi Platonici propositum fuisse volunt, nedum nos, qui vel hac de re ambigimus, num Cicero, si propositum suum plene exsequi potuisset, multo plura quam quae re vera interpretatus est, in suum de natura rerum dialogum translaturus fuerit; quod si ne veteres quidem, si a lacunis discesseris, pleniorem librum habuisse constat, neque ex nomine, quo hanc scilicet quae sola relicta est partem recte appellabant, de primario et genuino Ciceronis consilio ulla conjectura fieri potest.

His vero de universi operis consilio et argumento disputatis, jam ferme apparebit, quam rationem singulis locis cum exemplo Platonico intercedere consentaneum sit. Obscuram enim scholasticae interpretationis diligentiam Cicero praestare noluit, ut nihil mirum sit, si compluria, quae ad continuitatem argumentationis minus necessaria viderentur, omisit, nonnulla etiam aut perspicuitatis gratia aut quia Latini sermonis indoles flagitaret, addidit, neque omnino tam anxie Platonicae orationis vestigiis inhaesit, ut non hinc inde variare aliquid quam contortus aut aridus videri mallet. Sic ubi Plato p. 28 A: *ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν*, apud illum legimus: *nec unquam esse vere potest*, moxque pro *παντὶ γὰρ ἀδύνατον χωρὶς αἰτίου γένεσιν σχεῖν*: *nullius enim rei causa remota reperiri origo potest*; deinde vero p. 28 B, ubi in Graecis est: *οὗ δ' ἂν εἰς τὸ γεγονὸς (γεννητῷ παραδείγματι προσχρώμενος) οὐ καλόν*, ea quidem verba quae uncis inclusi omisit,

---

45) Verr. II. 63. 154: *itaque cum non solum patronum illius insulae, sed etiam σωτῆρα inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? Ita magnum, ut Latine uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum σωτὴρ, qui salutem dedit.*

extrema autem ornatius ita expressit: *nunquam illam quam expetet pulchritudinem consequetur*, eodemque exemplo per totum libellum passim et rerum vocabula mutavit et aliud structurae genus alii substituit, quae tantum abest ut corruptelae suspicionem moveant, ut ipsa negligentia peritum atque exercitatum sermonis Latini arbitrum ostendant. Neque tamen ideo circumlocutorem tantum aut liberum Platonis imitatorem agere voluisse, jam inde patet, quod omni hac interpretatione propriae operae compendium facere studuit, cui nihil jucundius esse poterat, quam sententias ab alieno exemplo fideliter descriptas verborum tantum abundantia domestica exornare; idque etiam plerisque locis singulis ita confirmatur, ut vel talia ex Graeco exemplari in Latinum translata videamus, quae ad summam quaestionis neutiquam pertineant, sed ab ipso Platone aut ad speciem colloquii familiaris aut quacunque de causa fortuito et obiter interposita sint. Sic sub ipsum exordium vel anacoluthon reddidit, quo Plato per parenthesin ipsi satis solemnem abreptus est p. 28 B: ὁ δὴ πᾶς οὐρανὸς ἢ κόσμος ἢ καὶ ἄλλο ὅ τί ποτε ὀνομαζόμενος μάλιστ' ἂν δέχοιτο, τοῦθ' ἡμῖν ὠνομάσθω — σκεπτέον δ' οὖν περὶ αὐτοῦ πρῶτον, quibus Latina haec respondent: *igitur caelum sive mundus sive quo alio vocabulo gaudet hoc a nobis nuncupatus sit — de quo id primum consideremus*; neque iis abstinuit, quibus Timaeus apud Platonem p. 29 C disputationis suae defectus excusat, aut p. 38 D partem doctrinae in alium sermonem differt, *ne in eo quod attingendum fuerit, quam in eo cujus causa id attigerint, longior ponatur oratio*; postremo est adeo ubi vestigia Platonis presse sequendo in errores incidit atque ipsa verba potius quam sententiam expressisse censendus est. Certe quod c. 9 τὸν ἱερὸν Ἑρμοῦ λεγόμενον (ἀστέρα) *sanctam Mercurii stellam* interpretatus est, jam Forcellinum in Lexico ita advertit, ut *sanctam* pro *sacra* dictam esse vellet; quod quia fieri non potuit, luce clarius est Ciceronem ἱερὸν absolute intellexisse, quum tamen ex Platonis sententia ad Mercurium potius, cui sacra stella sit, referri debeat; nec p. 39 C dubito quin ὡς ἔπος εἰπεῖν, quamvis apposite redditum sit *quod rite dicitur* [46]), secundum totam Graecae orationis conformationem ad οὐκ ἴσασι potius quam ad χρόνον ὄντα pertineat.

---

46) Plerumque sane interpretantur *ut ita dicam*, *so zu sagen*; neque tamen ubique sufficere hanc interpretationem, sed etiam locos esse ubi significet: *ut dicam quod res est*, scite jam animadvertit Creuzerus ad Plotin. de Pulchr. p. 144 eamque significationem primitivam declarat Stallbaum. ad Plat. Phileb. p. 21, cui ex hac Ciceronis translatione insignis confirmatio accedit. Eadem causa est Thucyd. III. 38: ζητοῦντές τε ἄλλο τι ὡς εἰπεῖν, ἢ ἐν οἷς ζῶμεν, φρονοῦντες δὲ οὐδὲ περὶ τῶν παρόντων ἱκανῶς.

Verum enim haec jam ex eo genere sunt, in quo Ciceronem negavi mentem philosophi semper recte assecutum esse; qua in causa ne verba modo rimari videar, statim ad eum locum transibo, in quo cum verbis etiam rei maximus error conjunctus est, c. 7: *ex ea materia, quae individua est et quae semper unius modi suique similis, et ex ea quae corporibus dividua gignitur, tertium materiae genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset ejusdem naturae et quod alterius*, itemque mox c. 8: *quippe qui ex eadem junctus alteraque natura, adjuncta materia, temperatione trium partium proportione compactus se ipse conversans, quum materiam mutabilem arripuit atque rursus individuam atque simplicem, in se omnis movetur discernitque*, ubi quum identidem οὐσίαν materiam reddiderit, dici non potest quantum ab omni Platonicae philosophiae indole et argumento aberraverit. Mitto eorum severitatem, qui ne notionem quidem materiae Platoni concedunt [47]), neque injuria, si quidem nec ὕλης vocabulum, quod solum Latinorum materiae respondet, usquam apud ipsum sensu philosophico usurpatur, neque id quod omni finitione destitutum indirecta tantum et velut spuria ratiocinatione cognoscitur [48]), certam notionem habere potest: at si vel maxime concedimus eodem certe jure quo ipse deum creatorem δημιουργὸν hoc est *fabrum* vel *aedificatorem* mundi appellat, id quod creationi substruitur imagine ex eodem genere petita *silvam* sive *materiam* appellari posse [49]), ex omnibus tamen aut corporis mundani aut animae elementis uni illi hoc vocabulum conveniet, quam ipse Cicero Academ. I. 7 *subjectam omnibus sine ulla specie atque carentem omni qualitate* ait, *ex qua omnia expressa atque efficta sint, quae tota omnia accipere possit omnibusque modis mutari atque ex omni parte*, hoc est eidem quam in

---

47) Cf. imprimis Boeckhium in Creuzeri Stud. T. III, p. 27 sqq., cui tamen haud inscite adversatur Bonitzius disput. Platon. p. 66; adde Ast. in Comm. Acad. Monac. 1835, T. I, p. 45 et Zeller. Platon. Studien p. 211.

48) Tim. p. 52 B; cf. Simplic. ad Aristot. Phys. f. 50 pluraque apud Henr. Richter. de ideis Platonis, Lips. 1827. 8. p. 45 et Ritter. Gesch. d. alten Philosophie T. II, p. 321 sqq.

49) Sic jam Aristoteles Phys. IV. 2: *ὁ Πλάτων τὴν ὕλην καὶ τὴν χώραν τὸ αὐτό φησιν εἶναι ἐν τῷ Τιμαίῳ*, neque aliter personatus Timaeus Locrus p. 97 E: *ἀρχαὶ μὲν ὤν τῶν γεννωμένων ὡς μὲν ὑποκείμενον ἁ ὕλα*: cf. Macrob. ad Somn. Scip. I. 12 et Chalcid. Comm. p. 370: *quam modo matrem, alias nutriculam, interdum totius generationis gremium, nonnunquam locum appellat, quamque juniores ὕλην, nos silvam vocamus*. Haec enim proprie Latinis dicitur *materia*, nempe ligna ad aedificandum; cf. Gronov. ad Plaut. Mil. Glor. III. 3. 46, Oudend. ad Sueton. Ner. c. 33, Walther. ad Tacit. Annal. I. 35; unde vicissim etiam *silvae* vocabulum ad rudis indigestaeque materiae significationem transiit, ut Cic. de Invent. I. 24, de Orat. II. 16 etc.

iis de quibus agimus Timaei locis *τὴν θατέρου φύσιν* appellat, cujus hoc ipsum proprium est, ut indefinita et instabilis nulla nisi quam extrinsecus acceperit ratione aut numero contineatur 50), a ceteris autem quae ibidem enumerantur animae partibus prorsus alienum est, nec magis confundi et perturbari difficillimi hujus loci explicatio possit, quam si quis aliquid, quod ad materiam pertineat, ad *τὴν ταὐτοῦ φύσιν* vel ad eam quam Plato *οὐσίαν* vocat transferat. Et de *ejusdem natura* clara res est, cujus quum ea maxime virtus sit, ut nec divisionem nec mutationem ullam recipiat, contradictionem in adjecto committat, qui eam quocunque modo ad materiae notionem revocet; nec tamen alia causa est *οὐσίας*, quae licet in tanta hujus vocabuli latitudine atque ambiguitate interdum etiam pro *ὕλῃ* dicatur 51), tamen nec omnino inde sequitur, ut vicissim hujus vocabulum pro illa substituere liceat, nec nunc talis ejus vis est, quae cum materia comparari possit. Nimirum eadem hujus loci causa est quae illius in Sophista, ubi Plato itidem duabus categoriis inter se oppositis, stabilitati et motioni, tertium adjicit *τὸ ὄν* 52) tanquam mixtum ex illis duabus 53), si quidem neutra earum non est, vim tamen, qua est, in se gerere non potest, quia tum magnum elementum commune habentes non omnino contrariae sibi forent; neque alienum est Philebi exemplum, quod docte Bonitzius comparavit 54), ubi summi boni elementis peculiariter etiam veritas

---

50) Plut. de procr. animae c. 6: *τὴν δὲ τῆς ψυχῆς (οὐσίαν) ἐν Φιλήβῳ μὲν ἀπειρίαν κέκληκεν, ἀριθμοῦ καὶ λόγου στέρησιν οὖσαν, ἐλλείψεώς τε καὶ ὑπερβολῆς καὶ διαφορᾶς καὶ ἀνομοιότητος ἐν αὑτῇ πέρας οὐδὲν οὐδὲ μέτρον ἔχουσαν, ἐν δὲ Τιμαίῳ τὴν τῇ ἀμερίστῳ συγκεραννυμένην φύσει καὶ περὶ τὰ σώματα γίγνεσθαι λεγομένην μεριστὴν κτλ.*

51) Cf. eund. c. 5: *τὴν δ' οὐσίαν καὶ ὕλην, ἐξ ἧς γέγονεν (ὁ κόσμος), οὐ γενομένην, ἀλλ' ὑποκειμένην ἀεὶ τῷ δημιουργῷ κτλ.* pluraque apud Wyttenbach. ad Morr. p. 825, de ipsa autem vocabuli ambiguitate Trendelenburg. ad Aristot. de Anima p. 323 sqq., unde intelligimus quomodo nec Plato *τὴν μεριστὴν* pariter ac *τὴν ἀμέριστον οὐσίαν* dicere dubitarit; immo et Philo de mund. opif. p. 5 materiam describit ut *οὐσίαν μηδὲν ἐξ αὑτῆς ἔχουσαν καλὸν, ἄτακτον, ἄποιον, ἄψυχον, ἑτεροιότητος, ἀναρμοστίας, ἀσυμφωνίας μεστήν*: subtilius tamen Simplicius ad Aristot. Phys. f. 54: *ἡ οὐσία κατὰ τὸ ὑποκείμενον λέγεται ἀπ' αὐτοῦ, ὑποκείμενον δέ πως καὶ ἡ ὕλη, κἂν εἰ ὡς μέρος τοῦ συναμφοτέρου λαμβάνηται, ὅπερ τῷ κυρίως ὑποκειμένῳ οὐχ ὑπάρχει· ἐγγὺς ἄρα οὐσίας ἡ ὕλη — ἔτι δὲ εἰ ὁ τῆς οὐσίας ὁρισμὸς ὁ λέγων οὐσίαν εἶναι τὸ ταὐτὸν καὶ ἓν ἀριθμῷ τῶν ἐναντίων δεκτικόν, ὑπάρχει καὶ τῇ ὕλῃ· ἢ μᾶλλον ἐγγὺς οὐσία, ὅτι καθ' αὑτὴν τὸ ἓν ἀριθμῷ οὐκ ἔχει, ἀλλὰ καὶ τὸ μηδὲν εἶναι αὐτῇ ἐναντίον κτλ.*

52) Sophist. p. 250 B: *τρίτον ἄρα τι παρὰ ταῦτα τὸ ὂν ἐν τῇ ψυχῇ τιθείς, ὡς ὑπ' ἐκείνου τήν τε στάσιν καὶ τὴν κίνησιν περιεχομένην συλλαβὼν καὶ ἀπιδὼν αὐτῶν πρὸς τὴν τῆς οὐσίας κοινωνίαν, οὕτως εἶναι προσεῖπας ἀμφότερα κτλ.*

53) Ibid. p. 254 D: *μέγιστα μὴν τῶν γενῶν, ἃ νῦν δὴ διῇμεν, τό τε ὂν αὐτὸ καὶ στάσις καὶ κίνησις· καὶ μὴν τώ γε δύο φαμὲν αὐτοῖν ἀμίκτω πρὸς ἀλλήλω· τὸ δὲ γε ὂν μικτὸν ἀμφοῖν· ἐστὸν γὰρ ἄμφω που.*

54) Disput. Platon. p. 71.

admiscetur, quod cui ea non accedat, id nunquam vere fiat factumve sit [55]); quod si ne unum quidem, quam Plato cum Parmenide summam veritatis formam statuit, aut esse aut distincte et realiter cogitari potest, quin τὸ ἔστιν ad illud accedat [56]), profecto nec animae elementa aut ipsa erunt aut coëundo quidquam, quod revera sit, effingere poterunt, nisi tertia accesserit οὐσία, quae quum utrique generi et ejusdem et alterius communis sit, hujus demum ope et admistione animae ex utraque natura temperatae exsistendi facultas tribuitur [57]). Haec autem οὐσίας vis non modo materiae sed ne substantiae quidem notioni respondet, nec si hoc sensu Cicero *materiam* dixerit, quam posterior philosophorum sermo *substantiae* vocabulo declarare maluit, propius ad Platonis sententiam accesserit, sed protinus in hanc causam cadet, quod in alia cognata Trendelenburgius disputavit [58]): *solent enim* οὐσίαν *substantiam vertere: sed substantiae quaedam subrepere solet materiae quae locum teneat species; unde hoc philosophandi subtilitati dandum fuisset, ut* οὐσία *essentia diceretur, etiamsi vox non jam a Cicerone excusa et Senecae auctoritate sancita esset* [59]). Neoplatonici quidem re

55) Phileb. p. 64 A: ᾧ μὴ μίξομεν ἀλήθειαν, οὐκ ἄν ποτε τοῦτο ἀληθῶς γίγνοιτο οὐδ' ἂν γενόμενον εἴη: cf. Trendelenburg. de Platonis Philebi consilio, Berl. 1837. 8, p. 15.

56) Cf. Stallbaum. Prolegg. ad Plat. Parmenidem p. 96 sqq. nosque Gesch. u. System d. Platon. Philos. T. I, p. 508 sqq.

57) Recte hoc etiam declaravit novissimus Timaei interpres Francogallicus Martinus, Etudes sur le Timée de Platon, Paris 1841. 8, T. I, p. 360: *ainsi suivant le Timée, dieu méla encore ensemble ces trois essences et par conséquent aussi la nature du méme et la nature de l'autre, qui dominent chacune dans une des deux essences extrémes; et il méla en méme temps ces deux natures avec l'essence, c'est à dire avec l'existence, image de l'idée d'être, que Platon nomme simplement* οὐσία, *et qui suivant lui, se rencontre necessairement plus ou moins en toutes choses;* nisi quod is haec ad alteram tantum prioris loci partem refert, quam his verbis Cicero expressit: *ea quum tria sumpsisset, unam in speciem temperavit, naturamque illam quam alterius diximus, vi cum eadem conjunxit, fugientem et ejus copulationis alienam, quae permiscens cum materia, quum ex tribus effecisset unum, id ipsum in ea quae decuit membra partitus est;* in priori vero parte οὐσίαν nescio quam *essentiam intermediam* interpretatur, unde fit ut nec Ciceronis *materiam* nisi in altera illa parte reprehendat; cf. p. 353: *dans le passage entier Cicéron traduit* οὐσία *par materia; ce n'est pas la traduction exacte du mot; cependant la pensée de l'ăuteur ne s'en trouve pas altérée dans les membres de phrase dont nous venons de parler, mais seulement dans ceux, où le mot* οὐσία *signifie l'existence en général.* Nos vero οὐσίας discrimen in duobus enunciatis proxime se excipientibus eo minus agnoscimus, quo clarius posterior locus p. 37 A unam tantum mixtionem respicit, nec agnovit Cousinus, in quem hoc ipso nomine Martinus invehitur p. 380; immo vel articulus, quo utitur p. 35 B: μιγνὺς δὲ μετὰ τῆς οὐσίας, eandem intelligi ostendit de qua antea egerat, quoque rectius Martinus ipse posteriori loco solam existentiam declarari vidit, eo certius hanc vim etiam priori tribuemus.

58) Platonis de ideis et numeris doctrina ex Aristotele illustrata, Lips. 1826. 8, p. 42 sq.

59) Seneca Epist. VI. 6 (58): *cupio, si fieri potest propitiis auribus tuis, essentiam dicere, si mi-*

vera tertiam illam *οὐσίαν*, quae media inter ejusdem et alterius naturam intercedit, ipsam animae substantiam interpretati sunt [60]), eamque explicationem amplexus Boeckhius ad nostram usque aetatem propagavit [61]); at, opinor, neque omnino substantia animae ex sententia Platonis tribui potest, nec si vel maxime possit, ipse sibi philosophus constitisset, si naturam animae, quam totam jam in substantia ejus contineri consentaneum esset, ita demum oriri docuisset, ut ad ipsam ejus substantiam duae aliae substantiae admiscerentur! Atque hoc etiam a Martino recenti interprete Francogallo recte contra Proclum ejusque asseclas animadversum est [62]); de ipsa animae natura autem, quanquam longior disputatio est quam quae in transcursu absolvi possit [63]), tamen quia nec hujus neque Stallbaumii aut Bonitzii, qui novissimi inter nostrates hanc quaestionem attigerunt [64]), mihi rationes satisfaciunt, duobus saltem verbis ita disseram, ut tertium ejus ele-

---

nus, dicam etiam iratis. Ciceronem auctorem hujus verbi habeo; puto locupletem; si recentiorem quaeris, Fabianum, disertum et elegantem, orationis etiam ad nostrum fastidium nitidae. Quid enim fiet, mi Lucili? quomodo dicetur οὐσία, res necessaria, natura continens fundamentum omnium? Cf. Sidon. Apoll. Praef. Carm. 14, Chalcid. in Timaeum p. 99, pluraque apud Spalding. ad Quinct. II. 14. 2.

60) Proclus Comm. in Timaeum p. 186: *καὶ τὸ ἐξ ἀμφοῖν δὲ πρὸς τὴν ψυχὴν οἰκείως, οὐ μόνον ὥς τινές φασιν, ὅτι κατὰ τὸ μέσον ἐστὶν ἀμφοῖν, ἀλλ' ὅτι καὶ ἄμφω ἐστίν . . πάντα γοῦν ἐστιν ἐν αὐτῇ συστοίχως· ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ νοῦς πάντα καὶ τὸ αἰσθητὸν πάντα, προςέθηκε τὸ ἐν μέσῳ, δεικνὺς ὅτι τὰ πάντα ἐπὶ ψυχῆς ληπτέον . . ἔτι καὶ ἑτέρως ἐξ ἀμφοῖν ἡ οὐσία τῆς ψυχῆς ὡς ἐξ ὅλου παρηγμένη τοῦ δημιουργικοῦ νοῦ . . ἀλλ' ἐπεὶ καὶ ὁ νοῦς καθ' ὅλον προῆλθεν ἐκεῖνον, τὸ ἐν μέσῳ τὴν ἰδιότητα τῆς ψυχικῆς ὑποστάσεως ἐδήλωσε*: cf. Sebast. Foxium Morzillum in Comm. Basil. 1554. fol., p. 117: *quapropter Platonici omnes animi substantiam mediam inter corpus et spiritum facientes Platonis verba ita interpretantur,* moxque p. 120: *tertiam substantiae speciem commiscuit mediam, id est aliam quandam essentiam ac formam partim intelligibilem partimque sensibilem effecit deus, hoc est animam, quae respectu quodam media inter duas illas naturas dicitur* etc.

61) Stud. l. c. p. 40: *diese ist offenbar das Substrat der Seele, ihre eigenthümliche Substanz . . . so dass man die beyden vorigen als ihr inhaerirende, diese aber für die Seele als die Hauptsubstanz denken muss.*

62) L. c. p. 347: *mais n'est il pas absurde de dire que pour obtenir la nature de l'âme, il faut mêler la nature de l'âme avec deux autres natures?*

63) Difficillimam veteribus quoque visam esse diversissimasque de ea opiniones exstitisse jam Plutarchus testatur de animae procr. c. 1: *ὅσας παρέσχηκε τοῖς ἐξηγουμένοις διαφοράς, ἄπλετον ἔργον ἐστὶ διελθεῖν ἐν τῷ παρόντι*: adde Sext. Empir. adv. Mathem. I. 301: *ποῦ γάρ τις δύναται τῶν ὀφρυωμένων γραμματικῶν Ἡράκλειτον συνεῖναι καὶ Πλάτωνι παρακολουθῆσαι λέγοντι τῆς ἀμερίστου καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἐχούσης οὐσίας . . καὶ ἤδη τὰ ἑξῆς περὶ τὴν λέξιν, ἃ πάντες οἱ Πλάτωνος ἐξηγηταὶ ἐσίγησαν.*

64) Cf. Stallbaumii Schola critica et historica super loco Timaei Platonici de animae mundanae elementis, Lips. 1837. 4, contraque eam disserentem Bonitzium in disput. Platonicis, Dresdae 1837. 8, p. 47 sqq. Nonnulla retractavit Stallbaumius in edit. Timaei p. 135 sqq., summam tamen sententiae suae etiam illic retinuit.

mentum sive essentiam ab omni materiae suspicione tuear. Stallbaumium certe nec ipsum hanc notionem prorsus removisse verba ipsius docent, quibus se contra Bonitzii objectiones defendit [65]; verum etiam apud Bonitzium, quocum in ceteris plerisque consentio, hoc desidero, quod vim movendi duplicem, quae animae apud Platonem tribuitur, ad solam animam mundanam retulit, humanae autem actionem duobus *cognoscendi* generibus, intelligentia et opinatione, circumscripsit [66]; quam si in agendo quoque ad mundanae similitudinem conformari debere meminisset, multo eum felicius in arcem Stallbaumianae sententiae invadere potuisse arbitror. Hujus enim summa haec est, ut *οὐσίαν*, quae in anima sit, ex eo genere esse velit, quod in Philebo quippe ex finito et infinito compositum *τὸ μικτὸν* dicitur [67]; nimirum ut anima ex trium illarum Philebi categoriarum mixtione exsistat, quarta autem sive causalis in deo opifice cernatur; quod si ea tantum animae miscendae causa esset, quam Bonitzius cum Aristotele statuit, ut elementorum suorum similitudine similia mundi elementa cognosceret [68], ad ipsum mundum quippe mixtum cognoscendum etiam mixto elemento indigere videretur; neque inter veteres ab ea sententia alieni fuerunt, quorum alii, ut Chalcidii verbis utar, *tertium illud mixtum substantiae genus formam intellexerunt, qua informata sint tam mundi quam cetera quae mundus complectitur corpora*, alii vero *ex duabus conflatum tertium animae genus rationabile* censuerunt, quae *inter duas posita naturas eandem diversamque modo ejusdem naturae contemplaretur divinitatem, attollens aciem ad sublimia, modo ad ima sedemque diversae naturae vergens, hanc etiam juxta opificis scita dispensaret terrenisque impertiret providentiam* [69]. Haec autem quamvis docte et subtiliter excogitata sint, tamen aut ea difficultate laborant, quam jam

---

65) In Seebod. et Jahnii NJbb. 1837, T. XXI, p. 170: *denn es ist nicht bloss von den formellen, sondern vielmehr und zugleich von den materiellen Principien des Gewordenseyns der Weltseele die Rede.*

66) Disp. Plat. p. 78.

67) Phileb. p. 25 sqq.

68) Aristot. de Anima I. 2. 7: *τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ Πλάτων ἐν Τιμαίῳ τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν στοιχείων ποιεῖ, γιγνώσκεσθαι γὰρ τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον*: cf. Chalcid. in Timaeum p. 132: *atque ipse etiam Plato hoc ipsum asserens animam ex ipsis initiis conflat, ut et ipsorum initiorum et quae initia sequuntur et prorsus omnium rerum exsistentium conscia esset ac de omnibus judicaret.*

69) Ibid. p. 101 sqq. quocum cf. Philippson. *ὕλη ἀνθρωπίνη*, Berol. 1831. 8, p. 171. Longius etiam progreditur Hegelius Vorles. über Gesch. d. Philos. T. II, p. 258: *vergleichen wir diese Substanz der Seele mit der der sichtbaren Welt, so ist sie dieselbe wie diese, und dies Eine Ganze ist nun erst die jetzt systematisirte Substanz, die wahrhafte Materie oder Wesen, der absolute Stoff, der in sich getheilt ist;* quibus nihil alienius a tota Platonis doctrina dici potuisse mox videbimus.

Plutarchus Xenocratis et Crantoris explicationibus opposuit, ut animae origo nulla re differat ab ea, quae etiam corporeis rebus omnibus a Platone tribuatur [70]), aut si eam differentiam interposuerimus, ut hae ex duobus tantum elementis, ταὐτῷ et θατέρῳ, nascantur, animae autem praeterea tertium, quod ex utroque mixtum sit, accedat, illud redibit, quod modo in Proclo reprehendebamus, ut nova mixtio ex eorundem elementorum temperamento cum iisdem elementis juncto coire dicatur [71]); denique, si quid video, non essentiam, sed generationem quandam perpetuam Plato in Philebo in tertia illa categoria collocat [72]), quam etsi quis cum Stallbaumio [73]) *essendi possibilitatem* dicere possit, hac ipsa tamen re quam maxime ab οὐσίᾳ distinguitur, quae quum *essendi notio* sive *idea* sit, secundum notissimam idearum Platonicarum naturam verissima essentiae sive exsistentiae sedes haberi debet. Atqui haec duo genera, quorum alterum, ut barbare loquar, in *essendo*, alterum in *fiendo* semper cernitur, Plato in ipsis Timaei principiis clarissime distinxit [74]), simulque mundum ita ad posterius retulit, ut hoc ipsum tertium Philebi genus esse appareat [75]): nihil igitur minus credibile est, quam animam, quam quum alibi tum in ipso Timaeo diligentissime ab omni corporeae naturae contagione removit ipsoque mundo antiquiorem sanctioremque praedicat [76]), ad eandem cum hoc ab ipso categoriam rejectam, aut οὐσίαν, cujus communione ipsa anima est, eandem cum mundi natura habitam esse, qui quamvis ad rerum sempiterna essentia praeditarum imaginem factus sit, propter ipsam tamen mixtionem nunquam ad exemplarium suorum praestantiam evadet. Originem quidem anima

---

70) Anim. procr. c. 2: *ἡ μὲν ἐκ τῆς νοητικῆς καὶ τῆς αἰσθητικῆς οὐσίας λεγομένη μῖξις οὐ διασαφεῖται, πῇ ποτε ψυχῆς μᾶλλον ἢ τῶν ἄλλων ὅ τι ἂν τις εἴπῃ γένεσίς ἐστιν*: cf. Martin. l. c. p. 379.

71) Martin. ibid. p. 380: *dans la composition de l'âme, quelle est la chose produite, le résultat du mélange, si non l'âme elle même? comment donc prétendre, comme le font Proclus et M. Stallbaum, que cette chose produite, c'est la troisième essence, tandis que d'après le texte de Platon, pour avoir le produit véritable, c'est à dire l'âme, il faut encore mêler cette troisième essence avec les deux autres?*

72) Phileb. p. 25 E: *φαίνει γάρ μοι λέγειν, μιγνὺς ταῦτα, γενέσεις τινὰς ἐφ᾽ ἑκάστων αὐτῶν συμβαίνειν*: cf. p. 26 D: *ἀλλὰ τρίτον φάθι με λέγειν, ἓν τοῦτο τιθέντα τὸ τούτων ἔκγονον ἅπαν, γένεσιν εἰς οὐσίαν ἐκ τῶν μετὰ τοῦ πέρατος ἀπειργασμένων μέτρων.*

73) Ad Timaeum p. 138.

74) Tim. p. 27 E: *τί τὸ ὂν ἀεί, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, καὶ τί τὸ γιγνόμενον μὲν ἀεί, ὂν δὲ οὐδέποτε κτλ.*

75) Ibid. p. 28 B: *γέγονεν· ὁρατὸς γὰρ ἁπτός τε ἐστὶ καὶ σῶμα ἔχων, πάντα δὲ τοιαῦτα αἰσθητὰ κτλ.*

76) Ibid. p. 34 C: *τὴν δὲ δὴ ψυχὴν οὐχ ὡς νῦν ὑστέραν ἐπιχειροῦμεν λέγειν, οὕτως ἐμηχανήσατο καὶ ὁ θεὸς νεωτέραν· οὐ γὰρ ἂν ἄρχεσθαι πρεσβύτερον ὑπὸ νεωτέρου ξυνέρξας εἴασεν*: cf. Legg. X, p. 891 sqq. XII, p. 959 A; Epinom. p. 980 E.

omnino esse non possunt [83]). Neque adeo bonorum tantum, ut deus, verum etiam malorum omnium anima causa dicitur [84]), quod licet et ipsum ad compositam ejus naturam spectet, cum mundi compositione et ideo comparari nequit, quod hic patitur, illa agit, et quod hic propter ipsam compositionem nunquam a genitura ad essentiam pervenit, sed instabilis inter perpetuos singularum rerum ortus atque occasus fluctuat, animae vero essentia ipsa in sempiterno motu cernitur, neque immortalitas ejus apud Platonem majore argumento comprobatur, quam quod et ipsa motus principium in se habeat, et ceteris omnibus, quae moventur, hic fons, hoc principium sit movendi [85]); postremo nulla alia de causa ei in Timaeo *οὐσία* admisceri videtur, nisi ut ab ipso mundo distinguatur, qui quum duo reliqua elementa, quae in ejusdem et alterius natura posita sunt, cum ea communia habeat, essentia tamen semper caret. Quod enim haec et ipsa ex duobus illis mixta dicitur, non ita intelligendum est, quasi ex omni illorum compositione essentia oriatur, quo facto sane etiam mundum comprehenderet, sed ut jam superius dixi, essentia utrique speciei ita cognata est, ut neutrius exsistentia alteram excludat: per se tamen nec *ταὐτὸν* nec *θάτερον* magis quam *στάσις* et *κίνησις* in Sophista *οὐσίαν* in se gerunt, nec si a deo creatore ad mundum efficiendum conjunguntur, plus huic quam concinnitatem et varietatem conferre possunt; quod si animam ex utroque miscendam non fieri tantum verum etiam esse deus voluit, necessario tertia essentia adjicienda erat, ut quamvis aeternitatem movendi jam ex *θατέρου* natura prodiisse Plutarcho concedamus [86]), simul etiam, ut ita dicam, actualitatem acciperet, qua potestatem suam et in se et in alias res re vera exerceret [87]). Hanc autem animae Platonicae essentiam apparet non in substantia aliqua, nedum in materia, sed in vi quadam ponendam esse, sicut etiam ipse Cicero Acad. I. 7 de toto hoc genere: *quam vim*, inquit, *animum esse dicunt mundi, eandemque esse*

---

83) Apposite R. C. Bakhuizen van den Brink Var. lectt. ex hist. philos. antiquae, Lugd. B. 1842. 8, p. 84: *nec morari nos debet quod in Timaeo animos Plato creatos dicit; alia enim est hujus dialogi ratio, ac de animis idem affirmatur, quod diis quoque immortalibus accidit.*

84) Plat. Legg. X, p. 896 D: *ὁμολογεῖν ἀναγκαῖον τῶν τε ἀγαθῶν αἰτίαν εἶναι ψυχὴν καὶ τῶν κακῶν καὶ καλῶν καὶ αἰσχρῶν δικαίων τε καὶ ἀδίκων καὶ πάντων τῶν ἐναντίων, εἴπερ τῶν πάντων γε αὐτὴν θήσομεν αἰτίαν.*

85) Phaedr. p. 245: *μόνον δὴ τὸ αὑτὸ κινοῦν ἅτε οὐκ ἀπολεῖπον ἑαυτὸ οὔποτε λήγει κινούμενον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα κινεῖται τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως . . . ἀθανάτου δὲ πεφασμένου τοῦ ὑφ' ἑαυτοῦ κινουμένου, ψυχῆς οὐσίαν τε καὶ λόγον τοῦτον αὐτόν τις λέγων οὐκ αἰσχυνεῖται*: cf. Phaed. p. 105 et Legg. X, p. 895.

86) Procr. anim. c. 9; Quaest. Platon. 4.

87) Cf. Aristot. Metaph. XII. 7: *διὸ ἔνιοι ποιοῦσιν ἀεὶ ἐνέργειαν, οἷον Λεύκιππος καὶ Πλάτων, ἀεὶ γάρ εἶναί φασι κίνησιν κτλ.*

γενέσεως genus refert, quod sensus moveat et sub oculorum obtutum cadat [96]); quod si totam sententiam ita interpretabimur, ut anima, quamvis generata sit, tamen ab optimo creatore omnium rerum creatarum optima facta, invisibilis et ratione ac concentu praedita, in eo genere censenda sit, quod sub intelligentiam cadat et aeternitate fruatur — ad sequentia quoque, ubi tria animae elementa iterum enumerantur, commodissimus transitus fiet. Ciceroni vero totas has rationes satis obscuras fuisse etiam haec docent, ubi mox pro Graecis: *λέγει κινουμένη διὰ πάσης ἑαυτῆς, ὅτῳ τ' ἄν τι ταὐτὸν ᾖ καὶ ὅτου ἂν ἕτερον, πρὸς ὅ τι τε μάλιστα καὶ ὅπῃ καὶ ὅπως καὶ ὁπότε ξυμβαίνει κατὰ τὰ γιγνόμενά τε πρὸς ἕκαστον ἕκαστα εἶναι καὶ πάσχειν καὶ πρὸς τὰ κατὰ ταὐτὰ ἔχοντα ἀεί,* illa Latina substituit: *per se omnis movetur discernitque, quid sit ejusdem generis, quid alterius, et cetera dijudicat, quid cuique rei sit maxime aptum, quid quoque loco aut modo aut tempore contingat, quaeque distinctio sit inter ea quae sint semper eadem,* quasi non *ὅτου* et *ὅτῳ* sed *ὅ τι* scriptum esset nec *ξυμβαίνει* arcte cum sequentibus *ἕκαστα εἶναι καὶ πάσχειν κτλ.* cohaereret, ubi Cicero nescio quomodo ipsorum generum distinctionem sibi cernere visus est; ne enim lectionis varietatem fuisse arbitremur, et optima vulgatae sententia et illud prohibet, quod *ταὐτὸν* et *θάτερον* in mundo non pura exstant, sed in mutua tantum singularum rerum relatione apparent; neque in iis, quae ad humanarum animarum creationem pertinent, philosophi mentem semper comprehendisse videtur. Sic c. 11 haec legimus: *in quibus qui tales creantur, ut deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, divini generis appellentur teneantque omnium animantium principatum,* quae si quis sola spectet, hominum a brutis discrimen indicare arbitrabitur; in Graeco autem exemplari ipsae animae immortalium cognomines opponuntur corporibus, quorum alteras dii minores a summo opifice accipiant, altera vero ipsi addere jubeantur, sicut etiam Cicero ipse pergit: *vos autem ad id, quod erit immortale, partem attexitote mortalem,* tantumque abest, ut jam nunc de hominibus brutisque distinguendis cogitari possit, ut claris verbis post alteram demum tertiamque generationem eas animas, quae sibi ipsae temperare modumque ac rationem servare nequeant, primum in feminas et deinde demum in bruta animalia transire doceamur [97]). Neque in hoc ipso argumento c. 12 satis accurate

96) Ibid. p. 28 B: *τὰ δὲ αἰσθητά, δόξῃ περιληπτὰ μετὰ αἰσθήσεως, γιγνόμενα καὶ γεννητὰ ἐφάνη:* cf. p. 31 B.

97) Ibid. p. 42 B: *σφαλεὶς δὲ τούτων εἰς γυναικὸς φύσιν ἐν τῇ δευτέρᾳ γενέσει μεταβαλοῖ, μὴ παυόμενος δὲ*

Cicero transtulit: *sed quum duplex esset natura generis humani, sic se res habebat, ut praestantius genus esset eorum, qui essent futuri viri*, ubi multo rectius Graece: ὃ καὶ ἔπειτα κεκλήσοιτο ἀνήρ, quod quanquam interdum etiam pro solo εἶναι usurpari videtur 98), nunc tamen cardo sententiae in nominis notione versatur, si quidem mares jam tum quum crearentur erant, nominis autem discrimen tum demum exsistere poterat, quum praeter illos etiam deterius feminarum genus oriretur; nec paulo ante rectam aut structurae aut sententiae rationem servavit, quum p. 41 E verba: καὶ ἐμβιβάσας ὡς εἰς ὄχημα τὴν τοῦ παντὸς φύσιν ἔδειξε νόμους τε τοὺς εἱμαρμένους εἶπεν, ita interpretaretur: *atque ita quasi in currum universitatis imposuit commonstravitque leges fatales ac necessarias!* Scilicet τὴν τοῦ παντὸς φύσιν, quod objectum est verbi ἔδειξε, ad ὄχημα retulit, quasi ipsa rerum natura cum vehiculo compararetur, cui singulae animae impositae essent; quae structura quamvis et elegantissima et usitatissima sit, ut in comparationibus praecedente imagine praepositio utrique membro communis in posteriori omittatur 99), nunc tamen et reliquo verborum tenori repugnat, qui ἔδειξε pariter ut sequens εἶπεν, quocum per τε conjunctum est, suum sibi objectum habere flagitat, et sententiae, quae quum haec sit, ut ipsis potius animis cum curru comparatis vera rerum omnium natura in mundo ideali spectanda proponatur 100), ne eo quidem confugere licebit, ut Ciceronem ἔδειξε cum particula καὶ post εἶπεν αὐτοῖς legisse suspicemur. Leviora sunt quae in corpore mundano fabricando

---

ἐν τούτοις ἔτι κακίας . . κατὰ τὴν ὁμοιότητα τῆς τοῦ τρόπου γενέσεως εἴς τινα τοιαύτην ἀεὶ μεταβαλοῖ θήρειον φύσιν: cf. p. 90 E, Phaedr. p. 249 B, Republ. X, p. 620 A.

98) Cf. Soph. Oed. Tyr. 1437: ἔνθα κλῄζεται οὑμὸς Κιθαιρὼν οὗτος, pluraque ap. Schaefer. ad Greg. Cor. p. 986, Stallbaum. ad Plat. Phaedon. p. 221, Meinek. ad Com. Graec. fragm. T. II, p. 19.

99) Hac de re egi jam in Spec. comm. ad Plutarch. de superst. p. 7; adde Plat. Theaetet. p. 170 A: ὥσπερ πρὸς θεοὺς ἔχειν τοὺς ἐν ἑκάστοις ἄρχοντας, Rep. III, p. 414 E: ὡς περὶ μητρὸς καὶ τροφοῦ τῆς χώρας ἐν ᾗ εἰσὶ βουλεύεσθαι, pluraque apud Stallbaum. ad Protag. p. 102, Wurm. ad Dinarch. p. 94, Sintenis. ad Plut. V. Themist. p. 207, Held. ad Aemil. Paul. p. 124, Krabinger ad Synes. de regno p. 296 etc. Nec solius Ciceronis hunc errorem fuisse videmus ex Procli Commentario p. 320, qui data opera hanc explicationem refutat: ὅσοι μὲν οὖν ὄχημα τὴν τοῦ παντὸς φύσιν εἰρήκασι τῆς ψυχῆς, ὥσπερ ὁ μέγας Θεόδωρος, οὔτε τοῖς πράγμασιν οὔτε τῇ λέξει τοῦ Πλάτωνος συμφώνους ἀποδεδώκασι λόγους κτλ.

100) Cf. Phaedr. p. 246 sqq. unde etiam intelligimus τὴν τοῦ παντὸς φύσιν nunc non eam esse quam Latini *naturam rerum* dicunt, hoc est mundum aspectabilem, sed ipsam veritatem ideis comprehensam, ᾗ πέφυκεν εἶναι ἕκαστα. Sic Republ. VI, p. 501 B τὸ φύσει δίκαιον καὶ καλὸν καὶ σῶφρον idem est quod in Phaedro p. 247 D αὐτὴ δικαιοσύνη καὶ τἆλλα ὡσαύτως τὰ ὄντα ὄντως, ibidemque X, p. 597 B forma artifici proposita appellatur ἡ ἐν τῇ φύσει οὖσα, ἥν φαῖμεν ἂν θεὸν ἐργάσασθαι: adde Cratyl. p. 387 A ipsumque Timaeum p. 37 D, ubi exemplar mundi aeternum ἡ τοῦ ζῴου φύσις nuncupatur.

contra Platonis sententiam Cicero expressit, adeoque uno loco insignissimo omnium, de quo jam antiquitus magna controversia fuit [101]), philosophi mentem felicius intellexit quam Aristoteles, qui Timaei verba p. 40 B: *γῆν δὲ τροφὸν μὲν ἡμετέραν, εἱλλομένην δὲ περὶ τὸν τοῦ παντὸς πόλον*, ita interpretatus est, quasi Plato terrae motum vel rotationem circa polos mundi tribuisset [102]); rectius Cicero c. 10: *terram altricem nostram, quae trajecto axe sustinetur*, quod vel in summa verbi Graeci ambiguitate ipsa rei ratione unice confirmari Boeckhii acumen docuit [103]). Verum errorem sed excusabilem deprehendimus c. 4, ubi manifestum est Ciceronem accusativum dualis *ἐκείνω* pro dativo singularis accepisse; interpretatur enim: *rursus enim alius animans qui* eum *contineat sit necesse est*, quod eo facilius fieri potuerat, quo majorem ipsa ejus aetate inconstantiam in iota dativo vel ascribendo vel omittendo fuisse constat [104]); sensum tamen dualem flagitare nec ipsum dubitari potest, quia hac argumentatione Plato utitur, ut nisi unicus mundus intelligibilis sit, duobus iterum superiorem aliquem accedere debere dicat, qui utrumque comprehendat eoque facto ipse verius pro exemplari habeatur. C. 5 quoque de constructione lis moveri possit, si quidem p. 32 D *ὅλον ζῶον* pro subjecto interpretatus esse videtur, quod praedicati potius locum tenere et articuli defectus et ejusdem sententiae repetitio in sequentibus docet: *διὰ δὴ τὴν αἰτίαν καὶ τὸν λογισμὸν τόνδε ἕνα ὅλον ὅλων ἐξ ἁπάντων τέλεον καὶ ἀγήρων καὶ ἄνοσον αὐτὸν ἐτεκτήνατο*; neque ibidem caute egit, quod verba p. 33 A: *περιιστάμενα ἔξωθεν καὶ προσπίπτοντα ἀκαίρως*, in quibus omnis argumentationis Platonicae cardo versatur, in Latinis protinus omisit; sed talibus amplius immorari nunc non lubet, quae quo leviora sunt, eo magis confirmant quod initio posui, Ciceronem, quamvis non verbum verbo exprimere voluerit, ipsis tamen exemplaris sui vestigiis satis presse inhaesisse, nec nisi ibi ab his discessisse, ubi aut sententia philosophi eum falleret aut in exigua mutatione nihil discriminis inesse videretur.

---

101) Cf. Plutarch. Quaest. Platon. VIII, pluraque apud Ruhnken. ad Tim. Lex. p. 69—72, Ideler. in Wolf. Museum d. Alterthumswiss. T. II, p. 415—422, Bakium ad Cleomed. Circ. doctr. p. 363.

102) Aristot. de Caelo II. 13: *ἔνιοι δὲ καὶ κειμένην ἐπὶ τοῦ κέντρου φασὶν αὐτὴν εἱλεῖσθαι περὶ τὸν διὰ παντὸς τεταμένον πόλον, ὥςπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραπται.*

103) Boeckh. de Plat. syst. caelestium globorum, Heidelb. 1810. 4, p. vii sqq., quocum cf. Buttmanni Lexilogum T. II, p. 150 sqq. et Letronnium in Journal des Savants 1819, p. 331 et 1841, p. 540.

104) Strabo XIV, p. 648: *πολλοὶ γὰρ χωρὶς τοῦ ι γράφουσι τὰς δοτικὰς καὶ ἐκβάλλουσί γε τὸ ἔθος φυσικὴν αἰτίαν οὐκ ἔχον*: cf. Sext. Empir. adv. Mathem. I. 169 et 173 singulaque ejus confusionis exempla apud Schneider. ad Plat. de Civitate T. I, p. lviii et Welcker. Syllog. epigr. p. xxxv.

Atque haec etiam causa est, quapropter nec de lectione alterutrius horum scriptorum ex altero existimanda aut refingenda prorsus desperari deceat, modo et illud constet, universam loci sententiam ab interprete recte intellectam esse, et ea varietas appareat, quae neque ambiguitati neque indifferentiae vocabulorum originem debere possit. Sic, ut hoc utar, recte nuper demum observatum est [105]), p. 28 C in verbis: τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν, non esse cur aut cum Wyttenbachio [106]) ἀθέμιτον aut cum Wideburgo [107]) οὐ δεῖ αὐτὸν pro ἀδύνατον legamus, si quidem vocabulum *nefas*, quo Cicero utitur, in philosophorum sermone ea quoque comprehendit, quae rei alicujus naturae contraria sint [108]); nec p. 34 B post ὅλον καὶ τέλεον ἐκ τελέων cum Heusdio [109]) inseruerim καὶ ὅλων, quia apud Ciceronem est *perfectum atque absolutum ex absolutis atque perfectis,* quem singula vocabula reddere noluisse vel inde apparet, quod proxime sequentia σωμάτων σῶμα ne uno quidem verbo expressit; eademque causa est multorum, in quibus Henrico Stephano olim Cicero aliam verborum scripturam secutus esse videbatur [110]). C. 4 certe quod Cicero tripartito ordine scripsit: *sicut homines hoc mundo et pecudes et omnia quae sub aspectum cadunt comprehenduntur*, non tanti est, ut in Graecis p. 30 D: καθάπερ ὅδε ὁ κόσμος ἡμᾶς ὅσα τε ἄλλα θρέμματα συνέστηκεν ὁρατά, quidquam transponendum censeamus; nec temporum discrimina tam sollicite servasse Ciceronem consentaneum est, ut p. 28 B pro γενέσθαι γίγνεσθαι aut p. 36 B pro κατέτεμνεν κατέτεμεν scribi opus sit, quia Cicero imperfecti relatione neglecta *secuerat* scripsit [111]); quod autem p. 40 D ex Ciceroniano *praefati sumus* pro εἰρημένα olim προειρημένα lectum esse colligit,

105) Cf. Krischii Forschungen T. I, p. 183.

106) Opuscc. T. II, p. 406.

107) Ad Cic. de Nat. Deor. I. 12.

108) Cf. Beier. ad Cic. Offic. III. 7, p. 238 geminumque Persii locum Sat. V. 98: *publica lex hominum naturaque continet hoc fas, ut teneat vetitos inscitia debilis actus.*

109) Spec. crit. in Platonem p. 130.

110) In Lexico Ciceroniano Graecolatino, Paris. 1557. 8, p. 195 sqq. Perionii versionem Nicomacheorum Aristotelis, ubi Fabricius Bibl. Lat. T. I, p. 292 et Stallbaumius ad Tim. p. 59 Ciceronis interpretationem cum Graecis Platonis ex adverso positis collatam esse narrant, nancisci non potui nec criticus ejus usus esse videtur.

111) Imperfecti pro plusquamperfecto positi exempla exhibent Held. in Actt. Philol. Monac. T. II, p. 179 et Naegelsbach. erklär. Anmerk. z. Ilias p. 254. Sensum optime sic reddemus: *ex quo tum illa secabat.*

vereor ne vel sententiam perversam reddat, si quidem *praefari* dictum aliquod sequentibus opponit, προειρημένα vero in praeteritum tempus rejiciuntur, nec p. 32 C πάντως pro παντὸς magis legi poterit quam modo περὶ ἐκείνω ex Cicerone corrigendum vidimus [112]). Est tamen etiam ubi verum ille sensisse videatur nec casui tantum vel licentiae sed alii adeoque meliori lectioni Ciceronis discrepantia tribui possit. Sic p. 28 scite intellexit ἀεὶ post βλέπων alieno loco positum esse, quum non ea Platonis mens sit, ut is qui munus aliquod efficere moliatur, eandem speciem semper intueatur, sed ut eam intueatur, *quae semper eadem sit*, atque ita etiam Cicero interpretatus est, quod si cui transpositio nimis temeraria videatur, haud scio an ipsa particula optimo jure pro glossemate eliminetur, praesertim quum nec Chalcidius eam expresserit: *quippe ad immortalis quidem et in statu genuino persistentis exempli similitudinem atque aemulationem formans operis effigiem*, neque ad id quod est κατὰ ταὐτὰ ἔχον necessariam esse doceant sequentia p. 29 A: πρὸς τὸ λόγῳ καὶ φρονήσει περιληπτὸν καὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον δεδημιούργηται, ubi itidem Cicero *semper* interposuit. Inconsideratius p. 29 B interpretem secutus Stephanus ἀΐδιον εἰκόνα τινὸς ἀϊδίου legi jussit, ubi nec Cicero Platonicae orationis decursum, quem Stallbaumius acute enarravit, penitus assecutus est; quanquam apud hunc sententiae tenor non turbatur, quia ita orationem suam deformavit, ut antecedentia concluderet et quasi comprehenderet: *ex quo efficitur ut sit necesse hunc quem cernimus mundum simulacrum aeternum esse alicujus aeterni*; apud Platonem vero per particulam αὖ declaratur transitus ad alium sententiarum ordinem, qui si idem tantum cum antecedentibus argumentum prae se ferret, praeter frigidissimam tautologiam ne illud quidem quod caput rei est sentiretur, non amplius de exemplari aeterno sed de mundo aspectabili actum iri, in quo id tantum urgetur, quod ad exemplaris alicujus similitudinem factus est. Immo si quid in hoc capite ex Cicerone mutandum sit, in proxime sequentibus post παντὸς inseram λόγου vel ζητήματος, sicut in Latinis est: *difficillimum autem est in omni inquisitione rationis exordium*; longe tamen certior res est p. 33 A, ubi verba ὡς ἃ ξυνιστᾷ τὰ σώματα vel ut in Codd. est ὡς ξυνιστὰς (ξυνιστὰν, ξυνιστᾶν) τῷ σώματι, manifesto corrupta sunt, Cicero autem sententiam certe verissime reddidit, quae haec tantum esse potest, ut compositum corpus sive ut ipse ait *omnis coagmentatio corporis* exter-

---

112) Ipsa verba, in quibus παντὸς exstat, Cicero prorsus omisit, nec si vel maxime πάντως reddidisset, id ferri posset, quia hoc potissimum Plato urget, *totam* elementorum materiam mundo comprehendi.

narum rerum impulsionibus labefactetur et frangatur; quod ubi recogito, nec Stephani emendatio displicet *ὡς ἃ ξυνίσταται σώματα*, nec ejus poenitet, quam ipse nuper proposui [113]) *ὡς εἰ ξυνίσταται σῶμά τι*, cujus hoc praecipuum est, ut et propius ad optimorum librorum lectionem accedere videatur et ipsum componendi actum respiciat, qui nunc maxime describitur. Nec p. 39 B dubito quin et Platonis oratio maculam susceperit, et Cicero veram sententiam servarit, quae quum his verbis concepta sit: *atque ut esset mensura quaedam evidens, quae in octo cursibus celeritates tarditatesque declararet*, haud scio an omnium commodissima eademque simplicissima emendationis via in notissima particularum *καὶ* et *ὡς* confusione pateat [114]), ut sic Plato scripserit: *ἵνα δὲ εἴη μέτρον ἐναργές τι πρὸς ἄλληλα βραδυτῆτι καὶ τάχει, ὡς τὰ περὶ τὰς ὀκτὼ φορὰς πορεύοιτο* h. e. *ut sive qua tarditate aut celeritate octo cursus incederent* [115]). Omnium autem insignissimum verae lectionis praesidium apud Ciceronem exstat in duobus locis p. 40 D et 41 A, ubi negatio solemni librariorum more [116]) in plerisque libris Mstis editionibusque quantum scio omnibus omissa praeter unum codicem at optimum Parisinum Bekkeri A fere solius nostri auctoritate servata est; eadem tamen utrobique ad veram philosophi sententiam declarandam adeo necessaria est, ut satis mirari non possim et Stallbaumium eam pro inutili sprevisse et novissimos editores Turicenses ne in margine quidem ejus mentionem injecisse. Atque in priori loco

---

113) In censura interpretationis Wagnerianae in N. Jen. Lit. Zeit. 1842, p. 132.

114) Cf. Jacobs. in Actt. Philol. Monac. T. II, p. 443, Jacob. ad Lucian. Alex. p. 24, nostraque ad eund. de hist. conscr. p. 319; quibus adde Arsenii Violetum p. 462, ubi procul dubio legendum est: *φιλοτιμοῦνται καὶ Μεμφῖται τοῖς τῆς Ἴσιδος πλοκάμοις* pro *ὡς Μεμφ.*, et Diog. Laert. VI. 70, quem ita demum perspicuitati reddes, ubi pro *ὡς περὶ τὴν ψυχὴν κτλ.* correxeris *καὶ περὶ τὴν ψυχὴν καὶ περὶ τὸ σῶμα*.

115) Particulam *ὡς* haud raro poni, ubi pronomen relativum exspectemus, exemplis docuerunt Mitscherlich. ad Hymn. in Cerer. v. 137, Schaefer. ad Soph. Oed. Col. v. 1124, Lobeck. ad Phrynich. p. 427, Wellauer. ad Apollon. Rhod. II. 1051; nec Latinum sermonem ab eo usu alienum ostendit Pers. Sat. V. 73: *libertate opus est, non hac ut, quisque Velina Publius emeruit, scabiosum tesserula far possidet*, ubi quod nonnulli substituerunt *qua quisque* optimorum librorum consensu reprobari nuper monui in disp. de usu et auctoritate scholiorum II, p. 49. Quanquam apud Platonem ne illud quidem absonum foret, si quis *ᾧ* pro *καὶ* substitueret; certe relativum quoque pronomen cum hac particula permutatum esse insignissimum exemplum ostendit Arati Phaenom. v. 240, ubi recte Vossius: *welcher zumeist von dem frischabsausenden Boreas fühlet*, modo idem in Graecis quoque ὅς pro *καὶ* correxisset.

116) Cf. Spec. Plutarch. p. 45 sq. Non injuria quidem Niebuhrius ad Cicer. Oratt. fragm. p. 103: *nullum*, inquit, *emendandi genus pejus odi quam illud quod contra libros negationem sive inserit sive tollit*; ipse tamen ibidem aliquando certe eo confugiendum esse intellexit, nec codicis auctoritate caremus, qui v. c. Republ. VII, p. 533 B solus omnium negationem itidem necessariam servavit.

vel illud scrupulum injicere debebat, quod in vulgata lectione *σημεῖα τῶν μετὰ ταῦτα γενησομένων τοῖς δυναμένοις λογίζεσθαι πέμπουσι* astrologica superstitio commendatur, cujus nec apud antiquiores philosophos nec apud ipsum Platonem ullum praeterea vestigium exstat [117]); multo vero etiam minus ei, qui norit quid sit *λογίζεσθαι* apud Platonem, probabile videbitur, *τοῖς λογίζεσθαι δυναμένοις* per planetarum apparitiones *φόβους*, *metus* injici, quos depelli potius per ratiocinandi facultatem consentaneum sit, tantumque abest ut ille plebeculae opiniones de rebus caelestibus amplectatur, ut hac imprimis de causa astronomiae studia commendet, ne indigne de diis sentiatur, quos certis tantum legibus moveri fas sit [118]); quae quum ita sint, mihi quidem dubium non est, quin vera philosophi mens haec fuerit, quam Cicero interpretando expressit: *rursusque emersi terrorem incutiant rationis expertibus*, utque *signa rerum futurarum* ab hoc omissa potius quam apud Platonem posterius interpolata sint, negationem ante *δυναμένοις* a junioribus demum Platonicis sublatam arbitror, qui Chaldaicae disciplinae majestatem cum magistri sui auctoritate pugnare nollent. Difficilior causa est alterius loci, ubi negativa constructio *ἐμοῦ γε μὴ θέλοντος* primo aspectu contrarium efficere videtur, ut invito deo mundus indissolutus maneat, nec Ciceronis oratio tam integra servata est, ut quomodo antecedentia *ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα ἄλυτα* interpretatus sit pro certo constet; attamen id de quo nunc maxime agitur *nec invito* omnium librorum consensus tuetur, idemque in vetustis exemplaribus Graecis fuisse antiquissimi testes Eusebius [119]) et Athenagoras [120]) ita comprobant, ut si ullo modo ferri possit, ipsa difficultate commendari magis quam elevari videatur. Ego vero ne in eo quidem acquiesco, quod Lindavio visum est [121]) eodem redire, utrum legas, sed ipsam vulgatam ferri posse nego, si quidem genitivus absolutus tempus

117) Cf. Ritter. Gesch. d. Philos. T. II, p. 386, qui quamvis et ipse vulgatam lectionem secutus hanc Platoni sententiam tribuat: *Platon findet, dass von den verschlungenen Bewegungen der Gestirne das Schicksal der Menschen abhängig ist, und dass es denen, welche darüber gehörig nachzudenken im Stande seyn sollten, wohl möglich seyn dürfte, das zukünftige Geschick der Menschen daraus zu erkennen*, in margine tamen haec annotat: *dies ist bei den griechischen Philosophen die erste Spur der Grundsätze, auf welchen die Astrologie beruht.*

118) Legg. VII, p. 821 sq. Neque illud negligendum quod Cicero tradit de Divin. II. 42, auditorem ipsius Eudoxum scriptum reliquisse *Chaldaeis in praedictione et notatione cujusque vitae ex natali die minime esse credendum*, quo omne hoc astrologicae divinationis genus concidit.

119) Praep. evang. XIII. 18.

120) Legat. pro Christ. p. 9 ed. Steph.

121) Annot. ad Timaeum p. 64.

vel condicionem tantum declarare potest, qua mundus indissolubilis sit, nimirum ubi deo placuerit [122]); atqui tale arbitrium excludit ipsa ratio quae sequitur: *τό γε μὴν καλῶς ἁρμοσθὲν καὶ ἔχον εὖ λύειν ἐθέλειν κακοῦ*, simulque sponsio: *οὔτι μὲν δὴ λυθήσεσθε*, quae neutiquam tam certa fieri potuisset, si deus modo aeternitatem eorum a sua voluntate pendere significasset; quod si hanc potius argumentationem sequentia flagitant, ut deos indissolubiles fore spondeat, quia ea condicio, quae sola interitum illis afferre possit, ab ipsius bonitate aliena sit, propositio major non ita efferri debebat: *non dissolvemini, si ego voluero*, sed aut: *ita tantum dissolvemini, ubi ego voluero*, aut: *nisi ego voluero, non dissolvemini*, idque ipsum in verbis *ἄλυτα ἐμοῦ μὴ θέλοντος* inesse nemo negabit, qui *ἄλυτά ἐστιν* idem esse quod *οὐ λυθήσεται* meminerit [123]). Praeterea in priori horum locorum p. 40 D non improbabiliter Stephanus pro *ταῦτά τε* legendum conjecit *ταῦτά γε*, quia *τὰ περὶ θεῶν ὁρατῶν καὶ γεννητῶν εἰρημένα* ab iis quae *satis sibi dicta* Timaeus ait non diversa sunt, nec si apud Ciceronem legamus *quaeque de deorum — natura praefati sumus*, hoc *que* aliam quam epexegeticam vim habere possit; in ipsa vero summi dei oratione p. 41 C scite animadvertit Ciceronem certe ita interpretatum esse ut *τῶν ἀεὶ δίκῃ καὶ νόμῳ ὑμῖν ἐθελόντων ἕπεσθαι* legisse videatur; sive haec inter ea referre liceat, quorum ille sententiam magis quam verba expresserit, mox p. 41 E insignes varietates occurrunt, quae utcunque existimantur, diversam a nostra recensionem redolent, quae haud scio an ex diversa placitorum Platonis explicatione prodierit. Sic enim ille c. 12: *et ostendit primum ortum unum fore omnibus eumque moderatum atque constantem nec ab ullo imminutum, satis autem et quasi sparsis animis fore uti certis temporum intervallis oriretur animal, quod esset ad cultum deorum aptissimum*; ubi primum quidem nec Stephanus nec Stallbaumius animadverterunt Ciceronem non legisse *ἵνα μή τις ἐλαττοῖτο ὑπ' αὐτοῦ*, i. e. a deo, sed *ὑπό του*, quod eorum doctrinam sapit, qui leges fatales extra dei voluntatem constitue-

122) Chalcidius quidem et Ficinus interpretantur: *me ita volente indissolubilia*, pariterque Wagnerus: *welche durch mich, weil ich es so gewollt, unauflöslich geworden sind*; talis vero causa, quippe in facto posita, apud probatos scriptores ὅτι vel ἐπειδή flagitaret; cf. Lübker. de Participiis Graecis Latinisque, Altonae 1833. 8, p. 38.

123) Illud potius offendere possit aliquem, quod in sententia negativa non μὴ οὐ legitur; sed tum quoque interdum simplex μή cum participiis condicionalibus jungi ostendunt exempla apud Schaefer. Melett. p. 57 et Wex. Epist. crit. ad Gesenium p. 14.

runt [124]); deinde vero quod verbis *εἰς τὰ προσήκοντα ἑκάστοις ἕκαστα ὄργανα χρόνου* talia substituit, ut Stephanus eum *διὰ χρόνων* legisse suspicatus sit, procul dubio ad vetustam illam lectionis varietatem referendum est, qua jam Plutarchus tradit [125]) nonnullos pro *χρόνου* dativum *χρόνῳ* reposuisse atque instrumenta singulis animis convenientia non de stellis sed de corporibus accepisse, quorum mentione Cicero facile supersedere poterat; utque hanc lectionem pariter atque explicationem vulgata nostra deteriorem esse facile concedam, ne nostris quidem a libris deteriorum lectionum exempla absunt, quas jam Ciceronem ante oculos habuisse interpretatio ejus ostendit. Ita quod p. 28 A olim vulgabatur *ὅπου μὲν οὖν ὁ δημιουργὸς* pro *ὅτου*, tantum abest ut cum Stallbaumio mero errori tribuam, ut idem jam Cicero secutus sit vertens: *si is qui aliquod munus efficere molitur:* nec p. 34 B dubito quin Florentini codicis lectio *ὁμαλὸν πανταχῇ καὶ ἐκ μέσου ἴσον* eadem fuerit qua ille in interpretando usus est; clarissimum denique exemplum habemus p. 39 A, ubi antiquissimi glossematis *φύσεως* vestigia jam apud Latinum interpretem ita expressa sunt, ut olim conjunctim *διὰ τῆς ταὐτοῦ φύσεως φορᾶς* scriptum esse eique mox, ut fere factum est, genuinam vocem *φορᾶς* cessisse manifestum sit. Plurimas tamen ejus lectiones bonas fuisse et illa quae modo disputavimus et ii loci comprobant, ubi sententia ab ipso tradita jam etiam optimorum librorum auctoritate ab editoribus recepta est, velut p. 30 C *τούτῳ* nuper demum insertum jam in Ciceronis oratione apparet: *ejus similem mundum esse dicamus;* utque p. 40 C jam Stallbaumius animadvertit eum non cum vetustioribus editionibus *πρεσβυτάτην σωμάτων ὅσα γέγονε* sed cum recentioribus *θεῶν ὅσοι γεγόνασι* legisse, ita p. 42 D *ὅσον ἔτ' ἦν* pro *ὅσον ἐστὶ* non Proclum tantum verum etiam Ciceronem testem habet; immo conjecturae quoque, quae novissimo editori ad sensum necessariae visae sunt, eodem auctore firmantur,

---

124) De origine et natura legum fatalium sive *εἱμαρμένης* apud Platonem veteres in diversissimas partes discessisse videmus ex Commentis Procli p. 322 et Chalcidii p. 236, nec negari potest tantam et hujus loci et Reip. X, p. 617 sqq. ambiguitatem esse, ut eodem jure fatum a divino arbitrio sejungere et e providentia divina derivare liceat.

125) Plut. Quaest. Platon. VIII. 2: *μεταγραπτέον δὲ τὸ χρόνου χρόνῳ, λαμβάνοντα ἀντὶ τῆς γενικῆς τὴν δοτικήν, καὶ δεκτέον ὄργανα μὴ τοὺς ἀστέρας ἀλλὰ τὰ σώματα τῶν ζῴων λέγεσθαι . . . ὥστε τοιοῦτον εἶναι τὸν λόγον· αἱ ψυχαὶ εἰς τὰ προσήκοντα ὀργανικὰ σώματα ἐν χρόνῳ κατεσπάρησαν;* quae quum manifesto non ad p. 42 D sed ad p. 41 E spectent, simul etiam vetustam et genuinam hujus loci scripturam *χρόνου* fuisse ostendunt, ut Bekkerus edidit, non ut Stallbaumius *χρόνων*, quod ipsum fortasse pravae demum illi emendationi *χρόνῳ* originem debuit.

ut v. c. p. 35 A omissio verborum *αὖ πέρι* et p. 35 B *εἰς πᾶσαν αὐτὸ τὴν ψυχὴν διαγγείλῃ* pro *αὐτοῦ*[126]), quae mutatio multo utique et facilior et aptior est quam si cum Stephano Latina Graecis accommodaremus scribendo *omni ejus* pro *omnia animae mentique denunciat*; quibus omnibus comprehensis facile apparet, quamvis temerarius futurus sit, qui Graeca Platonis omnia ad Ciceronis exemplar refingere conetur, aliquem tamen etiam criticum hujus usum esse posse, ut aut in varietate lectionis dijudicanda ducem habeamus aut in emendationibus genuinae antiquitatis vestigia sequamur. Illud tantum tenendum est, nec Ciceronis orationem integram atque incorruptam ad nos pervenisse adeoque graviores maculas quam Platonis verba contraxisse, ut sane etiam saepius huic ex Platone quam Platoni ex Cicerone medela petenda sit; quod etsi in tanto interpretandi arbitrio et libertate vel majorem cautionem requirit, ne quod potuerit tantum scriptor vel interdum etiam scribere debuerit potius quam quod re vera scripserit intrudere videamur, est tamen ubi aut manifesta librorum omnium corruptela ultro nos ad exemplaris sanitatem confugere cogat aut ipsa emendandi facilitas librariorum errorem arguat; postremo si vel maxime ambiguum sit, utrum ex utro corrigi oporteat, illud certe hominem criticae facultatis non omnino expertem in singulis locis vix fugere poterit, utrius orationem corruptam esse probabilius sit. Sic ut hoc utar p. 43 A Platonis verbis: *τὰς τῆς ἀθανάτου ψυχῆς περιόδους ἐνέδουν εἰς ἐπίῤῥυτον σῶμα καὶ ἀπόῤῥυτον*, olim haec Ciceronis ex adverso ponebantur: *itemque in eo influente atque effluente* ***animo divino*** *ambitus illigabant*, quae quum illis non ex omni parte responderent, jam Gatakerus[127]) *aut aliam scripturam secutum esse Tullium aut apud hunc viliata esse verba* annotavit; ipse tamen multo pronior fuit ad Ciceronem ita emendandum, ut pro dativo genitivum *animi divini* restitueret, qui jam etiam tribus apud Orellium codicibus firmatur, eodemque exemplo multa, in quibus Cicero a Platone discessisse videbatur, vel conjectando vel melioribus libris auctoribus aut certe ducibus et quasi viae monstratoribus in integrum restitui et cum exemplari suo conciliari contigit. Sed quantum in hoc genere et ingenii acumine et librorum copia efficere liceret, Manutii, Lambini, Schützii, Orellii opera ita jam tentatum est, ut exigua tantum spicilegia postvenientibus reliquerint; ad plenam certamque singulorum verborum restitutionem in tanta Codd. Mstorum deformitate perveniri vix unquam poterit, quae haud scio an ipsa illud confirmet,

126) Vel *αὐτά*, ut visum Theoph. Hartmanno de diis Timaei Platonici, Vratisl. 1840. 8, p. 36.

127) Ad Marcum Antoninum X. 28, p. 374.

quod superius suspicatus sum hoc fragmentum ne editum quidem ab ipso Cicerone sed rude et inchoatum in commentariis relictum esse, ut nec primum exemplar lacunis aut tenebris caruisse consentaneum sit; quod si nihilo minus de nonnullorum locorum lectione meam quoque sententiam aliquam subjeci, eligendi tantum materiam in locis arduis et desperatis augere volui; novum mendum post tot tantosque viros vix unum alterumve indagare potui. Ita c. 2 dudum apparuit corruptam esse Codd. lectionem *alterum quod opinionem affert sensus rationis expers* pro Graecis p. 27 D: τὸ δὲ αὖ δόξῃ μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου scil. περιληπτόν: Orellius cum Boëthio [128]) *alterum opinioni sensus rationis expers affert*, non quidem inepte sed coacte et omisso pronomine, quod non temere inculcatum dixerim; quidni simplicius et propius ad Graecorum formam: *alterum opinione* scil. *comprehenditur, quam affert sensus rationis expers?* C. 3 in transcursu tantum monebo non esse cur cum uno codice *fas est ei* scribamus pro *eum*, quod ceterorum omnium consensus et antiquissima Vallae editio tuetur, nec c. 4 necessarium videri *omne*, quod et Valla omisit et a Platonis verbis abest p. 31 B: σωματοειδὲς δὲ δὴ καὶ ὁρατὸν ἁπτόν τε δεῖ τὸ γενόμενον εἶναι: gravior vero corruptela latet c. 5, ubi Graeco βάθος ἔχον Latinum *requisitum* respondere nullo modo potest; Lambinus cum Stephano inseruit *altitudinis*, Orellius conjecit *alti* vel *profundi situm*; propius ad literas accedet *retro situm* vel etiam *reconditum*, quod ut metaphorico sensu haud raro pro βάθει usurpatur, ita vicissim etiam ad naturalem ejus significatum transferri poterat. Ibidem in verbis: *ut nulla pars hujusce generis excederet*, pronomen demonstrativum nec sententiae nec Graeco exemplo convenit, in quo est: μέρος οὐδὲν οὐδενὸς οὐδὲ δύναμιν ἔξωθεν ὑπολιπών, quapropter haud scio an hic quoque cum Valla legendum sit *ullius generis*; nec c. 6 plerarumque editionum veterum scripturam *cohiberet* posthabeam Victorianae *cieret*, quae et a Codd. vestigiis *coiret* aut *cogeret* longius abest, nec Platonis verbis respondet, qui quod mundi motionem τὴν περὶ νοῦν καὶ φρόνησιν μάλιστα οὖσαν appellavit, interpres vim praepositionibus περὶ recordans facile ita reddere poterat, ut eam *mentem atque intelligentiam maxime cohibere* id est *comprehendere* vel *intra se continere* diceret; quod autem Orellius ex c. 8 comparat *quia sensus cieri potest*, hoc est αἰσθητόν, vel eam ob causam alienum est, quia motus, de quo

128) Comm. ad Cic. Topica l. III, p. 319 edit. Orellii, qui tamen ipse nunc ordinem verborum mutavit: *alterum affert opinioni sensus rationis expers.* De nexu opinionis cum sensibus cf. Plat. Theaetet. p. 190 A, Sophist. p. 263 E, Phaed. p. 96 B, inque primis Phileb. p. 38 B.

nunc agitur, non objici menti ut res sensibus oblatae sed ei cognatus esse dicitur, ut mittam eam mentis et sensuum apud Platonem differentiam esse, ut illa vix ut hi motu extrinsecus objecto *cieri* posse videatur. Contra ea c. 7 miror nullum editorem offensum esse verbis: *sesquialteris autem intervallis et sesquitertiis et sesquioctavis sumtis ex his colligationibus in primis intervallis*, quae quo pressius ceteroquin translata sunt ex Graecis p. 36 A: ἡμιολίων δὲ διαστάσεων καὶ ἐπιτρίτων καὶ ἐπογδόων γενομένων ἐκ τούτων τῶν δεσμῶν ἐν ταῖς πρόσθεν διαστάσεσι, eo magis offendit *sumtis*, cui et sensus et Platonis comparatio *ortis* vel *natis* substitui jubet; sin hoc audacius videatur, quam cui locus inter ipsa Ciceronis verba concedi possit, certe c. 8 init. nunquam dimovebor, ne pro *sic animus* rescribam *sed animus a medio profectus* etc., ut in Graecis quoque animus recte corpori antecedenti opponitur p. 36 E: ἡ δὲ (ψυχή) ἐκ μέσου πρὸς τὸν ἔσχατον οὐρανὸν πάντῃ διαπλακεῖσα κτλ. C. 9 rursum vix dubito quin veterum Vallae aliarumque editionum lectio: *ex quibus erat motus temporis configurandus*, cui et codicis Uffenbachiani scriptura *configuratus* accedit, Graeco ξυναπεργάζεσθαι multa aptior sit quam vulgata *consignandus*, cujus ut sensus deterior, ita forma usitatior est quam *configurandus*, quod apud Ciceronem certe inter ἅπαξ λεγόμενα referendum erit; eademque aucteritate in fine capitis pro *hoc omne animal quod videmus* restituendum duxerim *hocce animal*, ut respondeat Graeco ἵνα τόδ' ὡς ὁμοιότατον ᾖ τῷ τελέῳ καὶ νοητῷ ζώῳ, ubi nemo id quod est *omne* desiderabit. C. 10 in plurimis Codd. et apud Vallam pro Platonico διανοουμένῳ est *celaret*, manifesta corruptela, pro qua alii editores ex Mstis substituerunt *celeraret*, Orellius autem cum Chalcidio *deliberaret* scribendum censuit; poterat etiam *cogitaret*, nisi forte praestat statuere Ciceronem in exemplari suo legisse δινουμένῳ, quo facto ipsum illud ἅπαξ λεγόμενον *celeraret* locum suum egregie tueretur, quanquam apud Platonem vulgatam lectionem unice veram esse ostendit simile vocabulum p. 90 D: τῷ δ' ἐν ἡμῖν θείῳ ξυγγενεῖς εἰσὶ κινήσεις αἱ τοῦ παντὸς διανοήσεις καὶ περιφοραί, ubi Stallbaumius nostri loci immemor perperam διανοήσεις ex glossemate originem duxisse suspicatur. Certior utique emendatio est c. 11 in verbis *quae a me ipso effecta sint, deorum vitam possint adaequare*, quibus jam Manutius copula cum antecedentibus opus esse vidit, neque intelligo quomodo Orellius imbecillimo asyndeto gravitatem orationis augeri putaverit; unice verum est, quod mea ipsius conjectura inventum ex Schützii demum commentario etiam Lambino placuisse vidi, *quae si a me ipso effecta sint,*

ut apud Platonem p. 41 C: *δι' ἐμοῦ δὲ ταῦτα γενόμενα .. θεοῖς ἰσάζοιτ' ἄν.* Denique c. 14 facillima mutatione sic lego: *quae necessario* *moventes* *alias ipsae ab aliis moventur;* quod enim vulgo ante *ipsae* legitur *quum*, a plurimis Codd. Vallaeque editione recte abest, quo omisso illud tantum restabat, ut pro *movent* participio substituto concinnitas sua orationi redderetur; Graecorum inversus ordo est: *ὅσαι δὲ ὑπ' ἄλλων μὲν κινουμένων, ἕτερα δ' ἐξ ἀνάγκης κινούντων γίγνονται.* Atque in his opera nostra subsistere poterat; quoniam autem identidem in hac disputatione Vallae editionem commemoravi, quae quamvis omnium singularium hujus libri princeps sit [129]), ab Orellio tamen non collata esse videtur, reliquas ejusdem lectiones cum Orelliano textu comparatas mantissae instar subjungere visum est, unde si nihil aliud hoc saltem ad criticum usum lucrabimur, ut exiguam ejus utilitatem esse intelligamus, sin tamen aliquid bonae frugis praebeat, omnis certe correcturae aut interpolationis suspicio absit. Eas tantum omisimus, quas cum Bononiensi B apud Orellium communes habet, quacum omnino ita consentit, ut haec emendata tantum illius repetitio videri possit, nec si quid diversi ex ea Orellius attulit, dubitandum videatur, quin aliquo errore factum sit [130]); ceterae vero, quae illius propriae sunt, praeter eas quas jam memoravi hae sunt: P. 495. l. extr. *illa* — P. 496. 1 *Siciliam* — 2 *venisset cum eodem mitylenas* — 6 *salutationis* — 16 *nullius* .. *potest* omissa sunt — 19 *exempla* — 20 *illa quae gignitur* — P. 497. 3 *tangitur et undique* — 7 *iudicari* — 16 *scientiaque comprehendatur* — 17 *contineatur* — 19 *orationis* — 20 *cum his* — P. 498. 1 *immutata* — 10 *nil ultra requiratis* — 12 *sibi similia* — P. 499. 4 *constituto* — 9 *huius ergo* — 10 *cuius similem* — 12 *rationis intelligentiae* — 16 *anima unum* — 17 *efficit* — 18 *dic ut uerius* — 19 *animantis* — 22 *unigenum* — 24 *necessarium quod notum* — 27 *terram primam* — 28 *tercium aliud requirunt* — 29 *atque aeque de his* — 32 *comperatio* — P. 500. 2 *ut quod sit uti primum postremo proportione ita ut postremum primo compareiur vicissimque* — 6 *diuicta* — 12 *iter ignem et terram et aquam et aërem deus*

---

129) Cf. Schweigeri Handbuch d. class. Bibliographie T. II, P. 1, p. 216, qui scite monuit eam proprie cum Topicorum editione ab eodem Valla curata conjunctam fuisse.

130) Omnes loci, ubi editionem Vallae ab Orellii collatione Bononiensis discrepantem inveni, hi sunt: p. 497. 15: *ad id est effectus* — 16 *comprehendatur* — 498. 10 *nil ultra* — 500. 19 *ammiscuit* — 507. 22 *fusiones* — 509. 3 *ne unquam*; in aliis, ubi Valla vel cum Cratandrina aut Victoriana consentit, Bononiensis mentio fortasse apud ipsum Orellium excidit, ut p. 500 extr., 502. 21, p. 507 extr., et p. 508. 1.

poneret — 13 *compararet proportione* — 16 *actum est* — 18 *quam dixi* — 21 *ligatus* — 24 *mundus animatus* — 25 *alter* abest — 27 *uel caloris uel frigoris* — P. 501. 9 *id itaque ita* — 15 *quia nec quod* — P. 502. 1 *ratione* — 3 *nec deus his* — 9 *se eum* — 11 *deum beatum deum*, moxque abest *animum* — 21 *in unam speciem* — 22 abest *alterius* — 23 *alienam permiscens cum materia tum et ex tribus* — 28 *sesqualtera* — 29 *quinta* — P. 503. 3 absunt *parique . . relinqueret* — 10 *ex quo exsequi et omne* — 12 *et ipse* — 18 *latere* sine *a*; mox: *hanc autem contra. Item et a media linea detorsit: sed principatum* — 21 *septimam orbis disparis* — P. 504. 7 *harmonia ut graece* — 12 *indiuiduum* — 13 *discerniturque* — 16 *quae sunt semper* — 18 *mouentur* — 19 abest *sine voce*; mox *cum eandem partem* — P. 505. 1 *tum opiniones firmas quae vere gignuntur cum aut in illis rebus uenitur* — 13 *conuerteret* — 17 *conuersatione* — 19 *fuit* — 21 *quauis causa* — 22 *igitur in quicquam eorum* — P. 506. 6 *quasi facilitatem* — 7 *similis* — 8 *fieri* moxque *uidens* — 11 *animantibusque quibusuis esset* — 15 *lustro* — 26 *ratione . . hocce animal . . esse illi* — 29 *et effinxerat* — P. 507. 3 *efficere* — 7 *naturam* — 8 *comiteque eum sapientiam* — 10 abest *hunc* — 12 *et inde* — 13 *quod ante mouit in quam partem* — 20 *eandem* — 22 *fusiones* — 23 *cumque in orbibus . . cumque antecessiones* — 25 *aut pone* — P. 508. 1 *labuntur quisque* — 7 *laris* — 12 *factum* — 13 *argumentis rationibus* — 18 *phorcynum* — 20 *prosapia* — 21 *omnis* — 22 *et quatenus . . quam ipsi* — 23 *si deus* — P. 509. 3 abest *et*; mox *ne unquam* — 11 *generetur condictione* — 16 *initium status* — 22 *firma* — P. 510. 5 *imminui consatis* — 15 *his se dederit* — 21 *transferretur* — 23 *quam habebit in se eiusdem* — 25 *turbulentam et rationis expertem insederit* — P. 511. 2 *quod cum . . se si quid* — 3 *exemplo omnem . . aliosque in terra* — 9 *perinueherent et absoluerent*; mox abest *ut* — 13 *manebit* — 22 *ui magna eum conferebant et conferebantur* — P. 512. 13 *confundit et contundit* — 21 *luminum conuertens* sine *quae* — P. 513. 7 *sed neque*.